Presented to
The Astor Library
by
Geo. C. Anthon.

Feb. 25. 1860.

LECTIONUM VERGILIANARUM

LIBELLUS

AD

VIRUM PRAESTANTISSIMUM

CAROLUM ANTHON

PROFESSOREM NEO-EBORACENSEM

MISSUS

A

PHILIPPO WAGNERO

DRESDANO.

GOTTINGAE.

APUD DIETERICH,

1859.

Rogamus eos, qui haec lecturi sunt, ut ante emendent errata, quorum indicem huic libello subiunximus.

Diu est, Vir Praestantissime, quod decrevi compluribus amicitiae Tuae testimoniis provocatus et palam profiteri, quanti ea faciam, et gratiam Tibi referre si non magnam, tamen qualemcumque possim. Circumspicienti autem mihi, acceptis iucundissimis muneribus, quid potissimum Tibi remitterem, ultro se obtulit Vergilius, fons ille communium utriusque nostrum studiorum. Statui igitur ex hoc aliquam materiam scribendi quaerere Tibique offerre, quae invenissem. Postquam annos abhinc prope triginta primum edidi Vergilium, multi exstiterunt, qui vel emendandis vel interpretandis his carminibus operam darent. Sed cum longum sit omnia consectari, libuit criticam partem seligere, ac ne hanc quidem totam; verebar enim, id si facerem, ne patientia Tua abuterer; sed contemplanti prolixum indicem lectionum a Th. Ladewigio, elegantis ingenii homine, mutatarum placuit examinare, quid emendatio Vergilii ex eius editione profecerit. Age igitur, Vir amicissime, et volens praebe Te mihi comitem iter hoc persequenti, plenum illud quidem spinarum, ex quibus si forte integra atque incruentata, aut saltem non undique lacerata cute evasero, gratum id mihi Tua etiam causa futurum est, quia, qui est Tuus erga me animus, Te haud minus ea re, quam me, gavisurum esse scio.

Misit mihi interea, dum paro aliquid ad Te scribere, vir in hoc genere literarum excellentissimus, Mauritius Hauptius, Vergilium suis curis expolitum. Itaque in omni hac disputatione commemoravi, quid is quoque loco secutus sit; idque feci ductus, ut par est, reverentia tanti grammatici. Et constat, quantum olim tribuerint magnorum virorum auctoritati; quod saepe cum

detrimento veritatis factum esse etsi non dissimulo, tamen apud modestiores homines semper multum valebit iudicium eorum, quos aeque doctrinae atque ingenii laude florere novimus. Verum ea res plus semel sollicitum me habuit, quod longe praetulerim ubique conspirare cum homine intelligentissimo, quam aliquoties ab eo dissentire, quamquam id fortasse rarius accidisset, si non rationes suas Vir verborum parcissimus pectore clausas tenere malit, quam foras edere. Quod sicubi veri ignoratione in errores incidero, certe, qua est humanitate, verum studiose me quaesisse facile concedet; sin erit, — nam quis est ab omni errore vacuus? — ut ego rectius quid viderim, feret dissensionem meam illo animo, quo socer eius, vir immortalis memoriae, Godofredus Hermannus, vel a discipulis suis se corrigi patiebatur.

Facile est illud genus critices, quod fere ex uno antiquissimo libro pendet. Qui in Vergilio criticam artem factitant, iis non licet ita plana atque expedita via procedere. Quamquam enim plerique iudicant ceteris praestantiorem esse Mediceum codicem, quia et antiquissimus omnium videatur et quod solus ex veterrimorum numero, si principium eximis, integer ad nostram aetatem servatus est, tamen illud intelligitur, et eos, qui praeterea exstant veterrimi libri, et multos ex iis, qui praeterea iure censentur in probatissimis, non ex eodem, unde illum, fonte manasse; nec mirabimur, cum Vergilii carmina plurimum exercuerint calamos veterum librariorum, complures hodie exstare codices, qui ex antiquissimis membranis descripti alius ab alio exemplari profecti videantur. Quare non recte faciunt meo quidem iudicio, qui in emendando opere Vergiliano omnia ad unius codicis auctoritatem exacta velint. Qui autem paulo diligentius exploraverit Mediceum librum, facile sibi persuadebit, qui hunc codicem exaraverit, hominem fuisse in lectione horum carminum satis versatum, unde factum est, ut multis locis, ubi versus aliis similes deprehenduntur, librarius memoria deceptus repetierit, quae alio loco legerat, veramque lectionem expulerit, de quo expositum est in Varr. Lectt. ad A. 7, 528; itaque si quid aliud in eiusmodi versibus ab aliis bonis codicibus propagatum est, id rectius pro vera lectione habebitur. Idem librarius in eam partem aliquoties peccavit, ut forma proximorum verborum syllabarumve induci se passus sit ad corrumpendam veritatem, cuius rei multa exempla protuli in Varr. Lectt. ad A. 1, 104. 11, 609; quare etiam talibus locis fides

eius suspecta videri debet. In ceteris hoc mihi nunc agendum putavi, ut, ubicumque non obstaret aliqua probabilis ratio, ad huius codicis testimonium me accommodarem; quo efficietur, ut, si hanc viam probaverint docti homines, multis locis iam desinatur de vero ambigi. In maiore editione, ne cupidius rem gerere viderer, aliquot locis, ubi sententia patiebatur, intacta reliqui, quae semel a superioribus editoribus recepta vidi; nunc eam legem sequar, quam modo proposui. Antequam igitur ad ea veniam, quae in disceptationem aliquam cadant, proferam ea, quae propterea potissimum, quod Medicei testimonio commendantur, amplectenda arbitratus sum: Ecl. 6, 74 *aut.* — 7, 14 *nec.* — Georg. 1, 174 *currus* restituo cedoque Servii auctoritati; nam qui Hesiodum O. et D. 426 aratrum *ἅμαξαν* dixisse aiunt, falli mihi videntur. — 2, 52 *voles* (?) Hauptius retinuit *voces*, quod *ποιητικώτερον*. — 265 *Ac*, ubi Hauptius *At.* — 435 *umbram.* — 488 *convallibus*, ut etiam vetus codex Bodleianus a Ge. Butlero collatus. — 514 *penates.* — 3, 3 *carmina*, Hauptius *carmine.* — 190 *accesserit aetas* nunc recipio, sed cunctabundus. — 254 *correptosque* bene defensum a Jahnio; Hauptius, ut superiores critici, rescidit copulam; et fortasse dixeris equis non omne flumen obiectum esse formidabile, sed ea solum, quae magno motu agitentur, ut torrentes. — 4, 45 *et levi.* — 132 *animis*, etsi *animo*, quod in maiore editione reposueram, servavit Hauptius. Neque vero explico *animis*, ut fecit vir eruditissimus, Carolus Ameis, quique ei obtemperavit Ladewigius: aequabat opes suas animis regum, i. e. superbiae regum, sive opibus, quibus superbiunt reges. Uterque iungit *regum animis*, non *opes regum*, pessumdata, ut mihi videtur, simplicitate sermonis. Equidem interpretor: animo successu rerum elato aequabat suas opes regiis. — 431 *dispergit.* — Aen. 1, 104 *proram* restituo, sed paene invitus; Hauptius *prora.* — 427 *theatri.* — 701 *manibus famuli.* — 741 *quem.* — 2, 129 *rupit*, Hauptius *rumpit.* — 226 *Diffugiunt.* — 579 removi nunc asteriscos; ceterum vidi Oudendorpium multo ante me in eandem suspitionem incidisse ad Apul. Met. p. 102. — 755 *animo.* 4, 174 *qua.* — 191 *Troiano sanguine.* — 390 *volentem.* — 5, 107 *complebant.* — 6, 475 *concussus* nunc recipio, sed dubitanter. — 498 *ac.* — 7, 4 *signant.* — 72 *Et.* — 98 *venient;* Hauptius *veniunt*, rectius fortasse. — 232 *tantique.* — 363 *An*, quod mollius videtur, et cf. vs. 357; Hauptius retinet *At.* — 430 *iube* (?) —

485 *Tyrrhus*, et sic ceteris locis, ubi idem nomen redit; et iam in Varr. Lectt., ut aliis locis alia vel iam commemorata vel mox commemoranda, sic hoc mihi probabilius videri significavi. — 514 *incendit* (?) — 642 *acciti*. — 722 *conterrita;* inprudens *tremit excita*, ut 10, 839 *multos*, reliqui intactum in editione Halensi, cuius exemplar a me correctum typothetis exprimendum tradidi. — 737 *tenebat*. — 757 *volnere*. — 8, 108 *tacitos* (?) Hauptius retinuit *tacitis*. — 160 *iuventas*. — 420 *gemitus;* retinuit Hauptius *gemitum*, fortasse quia praeterea pluralis huius vocabuli nusquam apud Vergilium de sonitu dicitur. — 582 *Conplexus*. — 9, 17 *et* (?) Hauptius quidem *ac* servavit. — 243 *fallet*. — 685 *Marus*. — 724 *magna*. — 10, 24 *murorum*. — 28 *surget*. — 108 *Rutulusve*, aliud agens in minore editione exhibui *Rutulusne*. — 138 *subnectit*. — 142 *Pactolus*. — 484 *cuspis medium*. — 612 *iussa*. — 686 *animi*. — 839 *multum;* vide, quae supra scripsi ad 7, 722. — 11, 120 *illi*. — 461 *ruunt*. — 601 *conversus* (?) — 799 *ubi* (?) — 12, 273 *auro*, Hauptius servat *alvo*. — 389 *latebras*. — 459 *Epulontem*. — 647 *adversa*. — 662 *acies*. — 744 *Teucri densa*. — 790 *certamina*. — Ceterum ne illa quidem, quibus interrogandi signum apposui, videntur nullam habere dubitationem.

Sed haec fere leviora. Festinat iam animus, optime Anthoni, ad alia, eaque ex parte graviora ac difficiliora Te traducere.

Divisi autem omnem, de qua mihi disserendum erit, materiam in quattuor capita, 1) Pro codicum optimorum, Medicei maxime, auctoritate; 2) Contra codicum veterrimorum, Medicei maxime, auctoritatem; 3) Contra coniecturas a Ladewigio in ordinem receptas; 4) De Interpunctione. Volueram et quintum adiungere, quo exponeretur de iis, quae consuetudini Latinae vel usui Vergiliano adversarentur. Sed quae eo capite comprehendenda fuerant, mutato consilio placuit ceteris intexere. In omni autem hac disputatione id operam dedi, ut novis argumentis pro sententia mea propugnarem, aut, quae dudum protuli, explicarem latius; quare si omnes argumentationis meae partes colligere Tibi libuerit, Vir amicissime, velim ea quoque evolvas, quae quoque loco in Variis Lectionibus disserui.

Caput primum.

Pro codicum optimorum, Medicei maxime, auctoritate.

Ecl. 1, 60 sq.: *Ante leves ergo pascentur* in aethere *cervi*
Et freta destituent nudos in litore piscis.

Ladewigius ex Henrici Keilii sententia edidit *in aequore*. Id Vossius vel propterea reiiciendum censet, quod vocabulum *aequor*, si nihil accesserit, ex quo mare indicari intelligatur, non mare significet, sed campum. Vere ille quidem; sed invalidum est id argumentum; iure enim respondere licet ex adiectis proximo versu contrariis intelligi posse *in aequore* hoc loco esse i. q. in mari, ut Aen. 4, 240 „sublimem alis sive aequora iuxta Seu terram portant." Lectionem *in aethere* tuetur Servius; interpretatur enim „avium more cervi volabunt"; *aequore* est in uno Heinsiano pro diversa lectione. Probi auctoritas, qua nititur Keilius, aut nulla hic est, aut prope nulla; nam in uno codice, Vaticano, legitur *aequore*, in altero, Parisino, *aethere;* uterque autem descriptus est e codice Bobiensi, quem exhibuit Egnatius in sua editione; in ea autem exstat *aethere*. Verum esto *aequore* scripsisse Probum, num id satis probabit Vergilium sic scripsisse, cum ita comparata sint verba Probi, ut eum memoria lapsum esse credere liceat? Quapropter si in ipsa sententia nihil est, quod oppugnet lectionem a me et ab Hauptio retentam, nihil erit, quod tantum veterum testimoniorum consensum elevare possit. Commendatur autem illa epitheto *leves* volantium proprio, ut ostendi in Varr. Lectt. Contra si scripseris *aequore*, non apparet, quare leves potissimum appellentur cervi. Et possunt multi quidem pisces leves appellari, sed non omnes; itaque *levis* non est inter perpetua, quae vocantur, epitheta piscium; at aves, quae uidem altius evolare possunt, (et de his tantum cogitari posse ostendit ipsum vocabulum aetheris) omnes appellantur leves. At nihil, inquis, impedit, quominus pisces celeriter ultro citroque cursitantes leves dicantur. Num igitur putabimus ab eiusmodi cursitatione cervos dictos esse leves? Minime quidem hoc loco, quia pascentes non cursitant. Facilius tulerim, si cervos leves h. l. propterea dici putes, quod non mergantur; quamquam id piscium certe naturae non convenit, quorum est mergi, non in summa aqua natare. Keilius epitheton *leves* a statura cervorum tractum

esse dicit, qua in re vereor ne Germanici sermonis consuetudine deceptus sit. Denique quid tandem cogebat Vergilium hoc dicere: uti pisces terrestrium animalium naturam induent, ita cervi piscium? Constat veteres poetas haud ita laborasse in comparandis eiusmodi rebus, ut alterum alteri quasi ad amussim respondeat.

Ecl. I, 65. *Oaxem* Ladewigius. In lemmate Servii Dresdani est *Oaxen*, et sic optimi libri, pauci ex deterioribus *Oaxem*. In Hauptiana editione exaratum invenio *Oaxe*, quod nisi errori typothetae tribuendum est, exspectandum erit, quomodo tueatur Hauptius.

Ecl. 10, 19. Teneo, quod in libris exstat, ut videtur, omnibus, *subulci*, confirmatum etiam a Servio, donec refutatas videro rationes in Varr. Lectt. prolatas. Ut Ladewigius, sic etiam Hauptius edidit *bubulci*. Quod laudant ista Theocriti 1, 80 „*ἦνθον τοὶ βῶται καὶ ποιμένες, ᾡπόλοι ἦνθον*," id equidem nihil moror, quoniam bubulci mentio apud Vergilium fit proximo versu. Caprario Theocriti Vergilius substituit subulcum, nec ab hoc liberare poterunt poetam, quotquot fortasse erunt, quibus sordeat subulcus naso suspensus adunco.

Georg. I, 35. *relinquit* Ladewigius et Hauptius. Ego etiamnunc servo lectionem ut difficiliorem, (sed quae explicari commode possit) ita consensu optimorum librorum comprobatam *reliquit*.

Georg. 1, 50. Diversitas quaedam praeceptorum videtur *At* requirere; et hoc probaverunt Ladew. et Hauptius. Mihi quidem ita videtur: de agricolatione cum dicturus esset poeta, primum commemorare debebat id quod primarium est, arationem; sic fit, ut lector statim ab ingressu in mediam rem rapiatur. Est tamen, quod ante observare debeat agricola, caeli solique naturam colendique rationem huic accommodatam, quoque loco quasi per manus traditam. Ea res autem cum ipsa aratione ita coniuncta est, ut, qui in eo negotio recte versari velit, ista scientia carere non possit; quapropter poeta, antequam pergat arandi praecepta dare, quod fit vs. 63 sqq., de illa paucis sibi dicendum arbitratur. Cum autem naturalis quaedam coniunctio inter eas res intercedat, non putavit sibi opponendas per *At*, sed copulandas per *Ac;* quas si prorsus discretas inter se esse voluerit poeta, iure mirabimur, quod paulo post redit ad arationem, nec facile intelligemus, quare arandi praecepta non ante absolverit.

Georg. 1, 226. *avenis* est in lemmate Probi, idque Keilio et ante Vossio probatum receperunt Ladewig. et Hauptius. Ego ex instituti mei ratione servo *aristis.* Auctoritati Probi adversatur Nonius, quamquam plus tribuerem Probo, si de illo ipso *avenis* commentaretur; nunc facile fieri potuit, ut *avenis* aliunde in lemma illud irreperet. Vossius ait, qui nescierint, quale genus avenae hic designetur, scripsisse *aristis*; at sciri id potuit vel e versu huius ipsius libri 154. Quid, quod mihi quidem probabile videtur, fuisse, qui illius versus memor *avenis* pro interpretamento huic appingeret eoque efficeret, ut hoc postea veram lectionem expelleret. Ceterum vanae aristae recte dicuntur, quae, cum inanes sint, fallunt spem agricolae.

Georg. 1, 457. *non illa quisquam me nocte per altum*
Ire neque ab terra moneat *convellere funem.*

moveat legunt Paldamus, Ladewigius, Hauptius. Est haec lectio Medicei a m. pr., sed cum a secunda emendatum sit *moneat*, hanc veram esse Medicei lectionem, illam mendosam iudicabimus, eo magis, quod ceteri libri omnes, excepto uno adhuc ignoto, Bosiano, *moneat* tuentur. Fortasse praetulit Paldamus *moveat*, quia *moneat* vetandi particulam requirere videtur. At nihil ea opus; noluit poeta scribere *ne* recto usus iudicio; nam illud *non* potissimum spectat ad id, quod subiicitur, *illa*, et sententia haec est: quavis alia nocte me moneat per altum ire, n o n i l l a.

Georg. 2, 185. *Qualem* (campum) *saepe cava montis convalle solemus*
Despicere.

dispicere Ladewig. et Haupt., *despicere* Mediceus et plerique libri mss. Vossius tenet *despicere* vertitque *bewundernd überschaun*, quo iure, alii viderint. Retinui et ipse *despicere;* sed quod in altera lectione laudaram in Varr. Lectt., id nunc video alienum esse ab hoc quidem loco; ea, quae ibi scripsi: „*dispicere* enim de eo dictum accipiemus, qui eiusmodi locum, vineae condendae aptum, inveniat." Verba *Qualem saepe . . . . limum* sunt *παρένθετα,* nec agitur in hac parenthesi de d i s p i c i e n d o solo fertili, ubi condas vineam, sed id tantum significat poeta: eiusmodi solum in vallibus reperiri; et usus est verbo d e s p i c i e n d i, quia ad inveniendum tale solum nihil opus est, nisi ut deiicias oculos videasque, quae ante pedes sunt; quamquam non reprehenderim, qui

aliquem ex editiore loco despicientem malit intelligere. Dispicit is, qui vim habet res inter se discernendi. Sed hic mihi obiicitur gravis auctoritas Caroli Lachmanni, qui ad Lucret. 4, 418 sq. p. 236 negat *despicere* cum accusativo iunctum aliter dici, nisi de contemptu; quare exempla ei opinioni contraria corrigenda statuit, ut illud, quod est Aen. 1, 224 „Despiciens mare velivolum". Quo fit, ut sermo Latinus privetur verbo, quod proprie significet *καθορᾶν*, nam *despectare* non est plane idem, quod *despicere*. Sed eo quoque loco Mediceus prope cum omnibus libris exhibet *Despiciens*. Atqui cum nullam opinionis illius rationem dispiciam et, si auctoritatibus certatur, eae, quibus ego utor, non inferiores sint, interim, dum meliora edocear, retinendum mihi iudico *despicere*.

Georg. 2, 367. *Inde ubi iam validis amplexae* stirpibus *ulmos Exierint*

viribus Ladewig., quae est altera lectio Medicei; prior, eoque ipso commendabilior, est *stirpibus*, servata etiam ab Hauptio. Qui legit *viribus*, aut iunget *validis viribus amplecti*, quod commode dicetur de eo, qui tam validus est, ut, quod complectitur, firmissime teneat nolitque facile ex amplexu dimittere; at viti ad amplectendam ulmum non opus sunt tantae vires; aut *validis viribus* absolute, ut loquuntur, dictum existimabit, ut ea sit sententia: ubi vites iam robustae sunt et ulmos exierint; at in ea ratione displicet *amplexae* sic nude positum; praeterea id participium inter adiectivum et substantivum collocatum indicare videtur haec ipsa poetam cum illo coniuncta esse voluisse.

Georg. 2, 464. „inclusas *auro vestes*" scripsit Ladewig., faciliorem vulgaremque lectionem difficiliori poeticaeque *inlusas* praeferens, quam tuentur Avienus et Prudentius. *inlusas* Hauptius.

Georg. 3, 202. Ladewigius *Hinc;* ego non video, quare *Hic*, priorem lectionem Medicei, deseram, ipsarum rerum ordine confirmatam, retentam etiam ab Hauptio. Nec probabis, Anthoni, talem rerum seriem: Primum domatur equus et aliud ex alio facere aut pati docetur; hinc ad certamina mittetur vel essedo iungetur; tum sinitur corpus facere.

Georg. 3, 219. Pascitur in magna Sila formosa iuvenca.

Removeo nunc asteriscum huic versui a me appictum. Postquam ante poeta universe commemoravit impatientiam amoris, quae

est taurorum, iam revocatur ea res ad certum exemplum. Et vide tranquillitatem pascentis vaccae, contrariam illam certamini proximis versibus describendo. Removeo asteriscos etiam a versibus quarti libri 291—293 atque ad superiorum interpretum sententiam accedo, servoque ordinem versuum in Rom. codicem exhibitum, quem redhibuit Vossius, a quo fortasse noles Hauptium discessisse.

Aen. 1, 211. *Tergora* deripiunt *costis.*
deripiunt Ladewig., Jahnium, ut ait, secutus; nempe contra voluntatem Jahnii *deripiunt* legitur in eius editione; ipse probat *diripiunt* annotatt. pag. 405 et 441, quod mirifico consensu codices (ad quos accedit etiam fragm. Vatic.) commendant. Hauptius *deripiunt.* Subtilius de ea re quaeretur a me infra ad A. 4, 593.

Aen. 1, 488. *adgnoscit* Ladewigius. Jahnius (quem *adgnoscit* edidisse falso refert Ladewigius) et Hauptius mecum *adgnovit*, nec est, quare Medicei fidem hoc loco aspernemur.

Aen. 2, 56. *Troiaque nunc* staret *Priamique arx alta maneres.*
stares Ladewigius, etiam Hauptius. Mihi quidem satius videtur ad Medicei auctoritatem me componere; cuius vestigia cum iam pressius sequi mihi proposuerim, non video, quare hic ab eo discedam. Et lectionem antiquam, non mendum Medicei, esse illud *staret*, discimus ex commemoratione Servii. Nec improbari potest, quod miserationis significatio, quae haud ita elucet in verbis *Troiaque nunc staret*, illustrior est in commemoranda alta arce Priami, sede imperii antiquissimi nobilissimique.

Aen. 2, 179. *advexere* deteriorem lectionem adoptavit Ladewigius falsae interpretationis gratia; *avexere*, ut ego edidi, etiam Hauptius.

Aen. 2, 187. *Hanc molem caelo* (Calchas) *educere iussit,*
Ne recipi portis aut duci in moenia possit.

posset Ladew., item Hauptius, atque ipse in Varr. Lectt. significavi me dubitasse, an reciperem. Sed nondum me possum a Medicei auctoritate avellere; quid, quod nunc invenio in praesenti *possit*, quo id tempus recte commendare liceat. *posset* ad consilium Calchantis refertur, *possit* ad mentem Sinonis, qui eo tacite suadens ostendit faciendum esse hoc ipsum, ducendum equum in moenia a Troianis, simulans se prodere, quod maxime celatum velint Graeci.

Aen. 2, 497. *Exit oppositasque* Ladewigius ex praecepto Lachmanni, item Hauptius. Nosti, Anthoni doctissime, nobilem disputationem (ad Lucret. 3, 1042) qua docet Lachmannus perfectum *iit* cum suis compositis, item *petiit*, extremam syllabam natura longam habere nec eam a quoquam vetere poeta correptam esse. Et verum est in tabula votiva Mummii exstare *redieit triumphans* et quinquies *venieit* in lege Thoria, nec licet haec pro praesentibus accipi. Sed velis rationem eius rei a summo viro explicatam. Nota est verborum *ἰέναι* et *ire* cognatio. Radix verbi *ἰέναι* putatur esse *IΩ*, sed praeterea alteram radicem fuisse *IEΩ* satis et id ipsum *ἰέναι* probat et praesens medii *ἵεμαι*. Eadem radix si fuit verbi *ire*, perfectum inde fit *ievi*, quod apud antiquos in usu fuisse indicat, quod in Senatusconsulto de Bacchanalibus legitur, *adiese*, *adieset*, *adiesent*, i. e. adievisse, adievisset, adievissent; fallitur enim Conr. L. Schneider, qui Grammat. Lat. pag. 97 vocalibus *ie* longam *i* significari putat; cuius rei nec ratio est apud veteres, nec praeterea exemplum exstare arbitror. Itaque tertia persona perfecti fuit *adievit*, *redievit*, *venievit*, unde extrita *v* litera factum *redieit*, *venieit*. Tamen ea res non videtur ex omni parte demonstrare, quod demonstratum it Lachmannus; nam antiquata prisca illa forma *ievi* factum est *ivi* s. *ii;* ut autem ex *audivi* (*audii*) profectum est *audĭit* correpta ultima (A. 7, 516 „Audiit et Triviae longe lacus, audiit amnis S. N. a. a.") ita nulla causa est, quare *iit* produxerint Romani. Et tertiam praesentis personam cum *ieit* principio fuisse consentaneum sit, constat post similiter abisse in brevem syllabam *ĭt*. Idem factum in *ibi*, *ubi*, *nisi*, *sibi*, quae in antiquissimis monumentis scribuntur *ibei*, *ubei*, *nisei*, *sibei*, post vulgo corripi coepta sunt. Sed negat Lachmannus ullum poetam hanc, de qua agitur, syllabam corripuisse, aut sicubi correpta inveniatur, facilem esse emendationem. Quid autem, si contra negabimus ullum exemplum ex ullo poeta ab eo allatum esse, quo evincatur eandem esse sua vi longam? Et qui id evinci posse existimes, Anthoni, quod certe in verbis trium brevium syllabarum evinci non potest? (omitto enim nunc verbum simplex *iit*, cuius usus est satis infrequens apud scriptores.) At potest, inquit Lachmannus; nam producitur ea syllaba etiam in eiusmodi arsi, qua brevis syllaba produci non solet. Egit de ea re Lachmannus in scriptione academica, quam

nondum potui nancisci [1]). Hic velim, Anthoni, mecum reputes nihil crebrius magisque usu tritum esse verbis *abiit*, *adiit*, *obiit*, *periit*, *rediit*. *subiit*, adde *interiit*, etiam *petiit*, (quamquam quod pag. 208 affertur e Vergil. 10, 67, eripitur Lachmanno codicum auctoritate) quoque minus ea vitari potuerint, eo plus licentiae esse potuisse in ultima producenda. Age videamus iam de libris mss. Et quoniam in Vergilio versamur, satis fuerit de Vergilianis codicibus, maxime de Mediceo, quaerere. Exstat autem in Mediceo, etsi pro geminata *i* saepe simplicem scriptam invenimus, de qua re infra dicetur, *Exiit* Georg. 2, 81. Aen. 2, 497. et *Transiit* Aen. 5, 274. 10, 817, idemque leviter corruptum *Transiet* 10, 785; nec ullus codex haec verba binis syllabis scripta exhibere memoratur praeter unum Sprotianum, in quo est 5, 274 *Transit.* Accedit novum argumentum ad probandam formam trisyllabam ex ipsa corruptela, quae est in *Transiet* 10, 785, unde cognoscitur in illo longe antiquissimo exemplo, unde descriptus est Mediceus, tribus syllabis id verbum exaratum fuisse; et observatum est a me aliquoties, maxime in Orthographia Vergiliana, saepe etiam menda librariorum multum valere ad verum indicandum. Omnibus autem his locis (ac praeter hos nullus est, qui huc pertineat, apud Vergilium) bisyllabam formam intulit Lachmannus. Restat monosyllabum *it* Aen. 9, 418, ita enim exstat et in Mediceo et in aliis multis codicibus. Dixi supra saepe factum esse, ut simplex *i* pro duplici scriberetur a librariis, ut in ipso Mediceo A. 8, 363 *subit* pro *subiit*, 10, 517 *adit* pro *adiit*, A. 2, 25 *abisse* et *petisse*, (quod virum doctissimum, Heinrichium, induxit, ut in Indice Cic. Oratt. partt. ined. sub voce *Acquisiisse*, non reveritus soloecismum — nam soloecismum esse persuadebunt etiam ea, quae Madvig. scripsit ad Cic. de Fin. 5, 22, 64 — scriberet legendum esse non, ut editur, *Nos abiisse rati et vento petiisse Mycenas*, sed *Nos et abisse rati ventoque petisse M.*, a quo conatu vel unus versus 4, 599 deterrere debebat) porro A. 3, 603 *ferro petisse* est in Mediceo a m. pr. et 606 *perisse*, tum vs. 674 in multis, atque in ipso Vaticano, legitur *immugit Aetna cavernis*, (quod praevideo — nam etiam peiora probari novimus — futuros esse, qui pro genuina lectione venditent) denique *petit* pro *petiit*

1) Et postquam Clarissimi Viri, E. G. Gersdorfii, benignitate ex bibliotheca Univers. Lipsiensis nactus sum egregium hunc libellum, vidi meam disputationem non convelli per ea, quae ibi scripta sunt.

10, 67 Medic. a m. pr. Negavimus autem ad A. 3, 3. 9, 9. 418. Vergilium extremas binas syllabas tertiae personae singularis perfectorum contraxisse; quod si verum est, et opinor esse verum, non *it*, sed *iit* eo, de quo quaerimus, loco poeta scripsisse videbitur. Quae cum ita sint, et *iit* et *exiit* et *transiit* etiam in posterum servanda duco, idque ut faciam, causa in promptu est vel optimorum librorum fide potior, auctoritatem dico ipsius Vergilii. Nullus poeta Romanus tantum habuit numerorum curam, quantam Vergilius. Jam consulas velim aures Tuas, Vir elegantissime, ferentne illae in re concitationis plena tardos istos segnesque numeros G. 2, 81:

nec longum tempus, et ingens
Exīt ad caelum ramis felicibus arbos.

A. 2, 497: Non sic, aggeribus ruptis cum spumeus amnis
Exīt oppositasque evicit gurgite moles.

A. 10, 785: Tum pius Aeneas hastam iacit: illa per orbem
Aere cavum triplici, per linea terga tribusque
Transīt intextum tauris opus.

A. 10, 817: validum namque exigit ensem
Per medium Aeneas iuvenem, totumque recondit;
Transīt et parmam mucro *cet.*

A. 9, 418: Dum trepidant, īt hasta Tago per tempus utrumque.

Denique quod rem plane conficit, A. 5, 274:

serpens,
Aerea quem obliquum rota transīt,|aut gravis ictu
Seminecem liquit saxo lacerumque viator;

ubi incisio post quartum pedem facta necessario requirit dactylum; quod nolim ita accipias, Anthoni, ut, ubicumque vox aliqua ea sede terminatur, in dactylum eam exire necesse sit, sed intelligo eam caesuram, quae fit ante interpunctionem; nam in continenti oratione vulgo spondeus in ea sede ponitur, nec vocativus, ut A. 10, 395 et apud Hom. Od. 15, 218, moratur cursum orationis. Est autem admodum crebra haec caesura; satis habeo ex uno libro decimo exempla afferre:

vs. 5 Considunt tectis bipatentibus; | incipit ipse
9 Quae contra vetitum discordia? | quis metus aut hos
215 Iamque dies caelo concesserat, | almaque curru
231 Nunc pelagi Nymphae, classis tua. | Perfidus ut nos
242 clipeum cape, | quem dedit ipse

adde 308. 427. 480. 535. 541. 552. 594. 619. 630. 700. 704. 734. 740. 783. 786. 812. 827. 830. 858. 870. Neque solum, ubi gravius distinguitur aut subiectum mutatur, sed etiam, ubi, quae sequuntur, ad idem subiectum redeunt et per *que*, *et*, *nec*, *aut*, *sed* verbis antegressis annexa sunt, dactylo opus est. Pertinet haec res ad illam debilitatem, sive infirmitatem dixeris, quarti pedis versus heroici, quam paucis attigi Quaest. Vergil. XXXII, 5 et XXXV, 20. Nota est pausa Porsoniana in versu tragicorum trimetro; appellabis mecum, Anthoni, hanc a me indicatam heroicam. Atque ut Porsoniana pausa quasdam admittit exceptiones, de quibus Hermannum praefat. ad Hecubam explicavisse constat, ita haec quoque heroica. Negligitur ea 1) ubi oratio interrupta post continuatur, ut A. 9, 194:

Si tibi quae posco, promittunt, | (nam mihi facti
Fama sat est) tumulo videor reperire sub illo
Posse viam ad muros *cet.*

E. 3, 15: Et, si non aliqua nocuisses, | mortuus esses.
E. 7, 25: Aut, si ultra placitum laudarit, | bacchare frontem *cet.*

2) in rebus per copulam iunctis ordine se excipientibus, ut A. 7, 525:

Sed ferro ancipiti decernunt, | atraque late
Horrescit strictis seges ensibus

A. 10, 734: Obvius adversoque occurrit, | seque viro vir
Contulit.

3) in referendis per asyndeton inter se contrariis, ut A. 10, 699:

sternit Latagum Palmumque fugacem,
Sed Latagum saxo atque ingenti fragmine montis
Occupat os faciemque adversam, | poplite Palmum
Succiso volvi segnem sinit.

4) in re laboris plena indicanda G. 2, 399:

namque omne quot annis
Terque quaterque solum scindendum, | glaebaque versis
Aeternum frangenda bidentibus.

5) ante iteratum cum vi vocabulum, ut A. 7, 538:

Quinque greges illi balantum, | quina redibant
Armenta.

6) in oratione concisa, ut A. 11, 389:

Imus in adversos? quid cessas? | an tibi Mavors *cet.*

Denique addo A. 10, 317:

Nec longe, | Cissea durum
Deiecit Leto,

ubi *Nec longe* dicitur pro *mox*, *paulo post*, et ante *Nec longe* maxima est interpunctio. — Sed ea omnia insigniter rara sunt, nec quidquam eorum simile est illi versui, unde profecta est haec disputatio, A. 5, 274, nisi forte putes magnum quendam nisum exprimendum fuisse, quo rota ruperit viperam, dignum illum pausa heroica!

Sed operae pretium facturos nos speramus, Anthoni, si, quomodo princeps heroici carminis, Homerus, ea caesura usus sit, investigabimus. Atque etsi non est eadem Graeci ac Latini sermonis conformatio, tamen inveniemus Homerum quoque certis finibus circumscripsisse usum huius caesurae, atque iis quidem, qui pariter caveant eius insuavitatem. In universum igitur hoc tenendum est, id in ea re Homerum curavisse, ut aut prior pars versus quodammodo iubeat legentes ad extremam intentum habere animum, aut extrema pars coniuncta sit aliquo vinculo cum priore.

Volutabam, cum accessi ad hanc quaestionem, exemplar Goeschenianum Wolfianae editionis. Quae res, cum Wolfius multo crebrius, quam hodie fieri solet, interpunxerit, effecit, ut immensa vis exemplorum colligenda esset. In his sunt, in quibus, etiam qui plurimum utitur interpunctione, sublatam malit, ut

Il. 10, 198 *τάφρον δ᾽ ἐκδιαβάντες ὀρυκτὴν, | ἑδριόωντο ἐν καθαρῷ*
11, 715 *ἄγγελος ἦλθε θέουσ᾽ ἀπ᾽ Ὀλύμπου, | θωρήσσεσθαι, ἔννυχος*, qui versus repetitur 18, 167.
13, 143 *ὣς Ἕκτωρ εἷως μὲν ἀπείλει, | μέχρι θαλάσσης ῥέα διελεύσεσθαι*
22, 383 *ἢ καταλείψουσι πόλιν ἄκρην, | τοῦδε πεσόντος, ἦε cett.*,
ubi verba *τοῦδε πεσόντος* causam deserendae patriae continent.
24, 735 *ῥίψει, χειρὸς ἑλὼν, ἀπὸ πύργου, | λυγρὸν ὄλεθρον, χωόμενος*,
ubi *λυγρὸν ὄλεθρον* adverbii loco est, adhaerens verbo *ῥίψει*.
Od. 6, 291 *δήεις ἀγλαὸν ἄλσος Ἀθήνης, | ἄγχι κελεύθου, αἰγείρων·*
11, 369 *πάντων τ᾽ Ἀργείων, σέο τ᾽ αὐτοῦ, | κήεα λυγρά.*
16, 2 *ἐντύνοντο ἄριστον ἅμ᾽ ἠοῖ, | κειαμένω πῦρ, ἔκπεμψάν τε νομῆας*
ubi fortasse etiam melius ante verba *ἅμ᾽ ἠοῖ* comma retraxeris.

Pertinent haec ad orationem sine ulla interpellatione conti-

nuatam, quae, ut apud Vergilium, ita apud Homerum spondeum non excludit a quarta sede, si quintus pes a novo vocabulo incipiat; quamquam in tali quoque oratione dactylum in quarta sede amat Homerus, quod non opus est multis ostendere, quia prorsus innumerabilia sunt eius rei exempla; nec facile aut numquam admisit spondeum ante eiusmodi exitum, qualis est

*ἀγλαὸς υἱός [2]
*αἱ δὲ γυναῖκες
*αἵ μ᾽ ἐσάωσαν
*ἀλλ᾽ ἄγε θᾶσσον
*ἀλλὰ καὶ ἔμπης
*ἀλλὰ μάλ᾽ αἰνῶς
*ἀλλὰ τάχιστα
*ἄλλοτε δ᾽ αὖτε
*αὐτὰρ Ἀχιλλεύς
*αὐτὰρ Ἀχαιοί
*αὐτὰρ Ἀπόλλων
*αὐτὰρ ἔγωγε
*αὐτὰρ ἔπειτα
*αὐτὰρ οἱ ἄλλοι
*αὐτὰρ ὄπισθεν
δάκρυα λείβων
δαίμονι ἶσος
*ἐγγὺς ἐόντα
*ἐκ δ᾽ ἄρα χειρῶν
*εἶπε δὲ μῦθον, at vide Il. 18, 391 infra §. 8.
*εἰςόκεν ἡμεῖς
*ἐν δ᾽ ἄρα τοῖσιν
ἔξοχος ἄλλων
*ἕως ἵκοντο
*ἣ θέμις ἐστίν
*ἠδὲ καὶ αὐτοί
*ἠὲ καὶ οὐχί
*ἦρχε δ᾽ ἄρα σφιν
*ἦρχε δ᾽ ἄρ᾽ Ἕκτωρ
*ἦρχε γὰρ Ἄρης [3]
*ἠΰτε καπνός
*ἠΰτε νεβροί
θαῦμα ἰδέσθαι
*ἱέμενός περ et similia, ut κηδόμενός περ, ἐσσύμενός περ [4]
*Κῆρ᾽ ἀλεείνων
*λῦσε δὲ γυῖα, at vide Il. 7, 12 infra §. 8.
*μακρὰ βιβάσθων
*μακρὸν ἄΰσας
νηλέϊ χαλκῷ
νῦν σε μάλα χρή
*οἱ δὲ δὴ ἄλλοι
*οἱ δὲ σιωπῇ
*οἵ ῥά μιν ὦκα
*οἷ᾽ ἀγορεύεις
*οἷον ἔειπες, at vide Il. 16, 49 infra §. 1, b.
*οἵπερ ἄριστοι
*ὅν ῥά τέ φασιν
*ὁππότε κεν δή
*ὄρχαμε λαῶν
*ὄρχαμος ἀνδρῶν [5]
*ὅς τὸ πάρος περ
ὄσσε φαεινώ
*ὅσσοι ἄριστοι
*ὅστις ἄριστος [6]
*ὅττι κεν εἴπω
ὅττι τάχιστα
*οὐ γὰρ ἔοικεν
*οὐ γὰρ ἔγωγε
*οὐ γὰρ ἐάσω
*οὐ γὰρ ὀΐω
*οὐ δὲ ἔοικεν
*οὐδ᾽ ἄρ᾽ ἔτι δήν, at vide Il. 6, 139 infra §. 8.
*οὐδ᾽ ἄρ᾽ Ἀχαιοί

2) Toties cum quintam sedem occupet ἀγλαός atque ubique dactylus praecedat, semel tamen Odyss. 4, 188 τόν ῥ' Ἠοῦς ἔκτεινε φαείνης| ἀγλαὸς υἱός.

3) Odyss. tamen 2, 416 et 3, 12 βαῖν',|ἦρχε δ' Ἀθήνη.

4) Il. 11, 554 τάς τε τρεῖ,|ἐσσύμενός περ, ubi nescias an τρέει scriptum fuerit antiquitus; nam τρομεῖ, quod habet Aristoteles, errori memoriae tribuendum videtur. Odyss. 18, 178 παραύδα,|κηδομένη περ.

5) Sed Odyss. 10, 224 Πολίτης,|ὄρχαμος ἀνδρῶν, et 14, 22 συβώτης,| ὄρχαμος ἀνδρῶν, item 15, 351. 389. 16, 36.

6) Odyss. tamen 10, 522 et 11, 30 στεῖραν βοῦν,|ἥτις ἀρίστη, ῥέξειν. Odyss. 16, 76 ἢ ἤδη ἅμ' ἕπηται Ἀχαιῶν,|ὅστις ἄριστος μνᾶται ἐνὶ μεγάροισιν ἀνήρ, et 18, 289 πρίν γέ σε τῷ γήμασθαι Ἀχαιῶν,|ὅστις ἄριστος. Utroque loco sic interpungendum videtur: Ἀχαιῶν ὅστις ἄριστος, idemque suaserim Od. 2, 128 πρίν γ' αὐτὴν γήμασθαι, Ἀχαιῶν ᾧ κ' ἐθέλῃσιν, hic quoque Wolfius γ. Ἀχαιῶν, ᾧ κ' ἐθ.

*οὐδέ τις ἄλλος	οὐκ ἐθελήσει	*τίπτε δέ σε χρεώ
*οὐδέ με πείσεις	*οὕνεκ' Ἀχιλλεύς	*τῷ δ' ἄρ' Ἀθήνη
*οὐδέ ἕ φημι, at vide Il. 5, 103 infra §. 1, c.	*ὄφρ' εὖ εἰδῇς	*φώνησέν τε 8)
	ποιμένι et ποιμένα λαῶν	χεῖρας ἀνασχών
*οὐδὲ μάχεσθε	*ποῖον ἔειπες	*ὣς δὲ σὺ ῥέζειν
*οὐδέ μιν οἴω	*τεῖρε γὰρ αἰνῶς	*ὡς ἐπιεικές 9)
*οὐδέ τι λίην	*τεῖρε γὰρ ἱδρώς	*ὡς σὺ κελεύεις
*οὐδέ τί σε χρή 7)	τηλόθι πάτρης	*ὡς τὸ πάρος περ

Multa haec sunt et tamen multum augeri poterunt. Quaecunque autem ex his stellulam habent appositam, ea omnia, ut infra apparebit, sic comparata sunt, ut, si voluisset spondeo uti poeta, spondeum ante se collocari patiantur.

Utitur Homerus caesura post spondeum in quarta sede

1) vel ante vel post nomina propria. Et solet ea res aliquid habere gravitatis. — a) maxime in appositione.

Il. 2, 704 ἀλλά σφεας κόσμησε Ποδάρκης, | ὄζος Ἄρηος.

842 Πυλαιός τ', | ὄζος Ἄρηος,

12, 188 Λεοντεὺς, | ὄζος Ἄρηος, item 23, 841.

4, 391 Καδμεῖοι, | κέντορες ἵππων, adde 5, 102.

5, 534 Αἰνείω ἕταρον μεγαθύμου, | Δηϊκόωντα

8, 120 υἱὸν ὑπερθύμου Θηβαίου, | Ἠνιοπῆα,

16, 571 υἱὸς Ἀγακλῆος μεγαθύμου, | δῖος Ἐπειγεύς,

17, 284 ὡς υἱὸς Τελαμῶνος ἀγαυοῦ, | φαίδιμος Αἴας,

21, 579 ὡς Ἀντήνορος υἱὸς ἀγαυοῦ, | δῖος Ἀγήνωρ,

5, 381 Διώνη, | δῖα θεάων·

Od. 1, 14 Καλυψώ, | δῖα θεάων, item 5, 78. 85. 116. 180. 202. 242. 246. 258. 276. 9, 29.

Il. 7, 44 τῶν δ' Ἕλενος, Πριάμοιο φίλος παῖς, | σύνθετο θυμῷ

Od. 1, 399 τὸν δ' αὖτ' Εὐρύμαχος, Πολύβου παῖς, | ἀντίον ηὔδα· item 2, 177. 18, 349. 20, 359. 21, 320.

8, 488 ἢ σέγε Μοῦσ' ἐδίδαξε, Διὸς παῖς, | ἢ σέγ' Ἀπόλλων.

24, 328 εἰ μὲν δὴ Ὀδυσεύς γε, ἐμὸς παῖς, | ἐνθάδ' ἱκάνεις,

22, 350 καί κεν Τηλέμαχος τάδε γ' εἴποι, | σὸς φίλος υἱός,

14, 435 τὴν μὲν ἴαν Νύμφῃσι καὶ Ἑρμῇ, | Μαιάδος υἱεῖ,

7) Odyss. 15, 393 ἔστι δὲ τερπομένοισιν ἀκούειν· | οὐδέ τί σε χρή, ubi facile emendaveris ἀκουέμεν, sed ne hoc quidem necesse, vid. infra §. 8.

8) Semel Il. 23, 666 ἅψατο δ' ἡμιόνου ταλαεργοῦ, | φώνησέν τε, graviter et ad praesignificandam magniloquentiam Epei accommodate.

9) Il. 23, 50 quidem legimus ὕλην τ' ἀξέμεναι, παρά τε σχεῖν, | ὡς ἐπιεικὲς νεκρὸν ἔχοντα νέεσθαι. Sed ubi cum his comparaveris 19, 147 δῶρα μὲν, αἴ κ' ἐθέλῃσθα, παρασχέμεν, ὡς ἐπιεικές, vix dubitaveris, quin illo quoque loco scribendum sit παρά τε σχέμεν. — Ceterum ex his videtur apparere Odysseam etiam in hoc genere paulum differre ab Iliade.

Il,13,429 πρεσβυτάτην δ' ὤπυιε θυγατρῶν, | Ἱπποδάμειαν,
17,500 αὐτίκα δ' Ἀλκιμέδοντα προςηύδα, | πιστὸν ἑταῖρον
Od.10,224 τοῖσι δὲ μύθων ἦρχε Πολίτης, | ὄρχαμος ἀνδρῶν,
21,80 καί ῥ' Εὔμαιον ἀνώγει, | δῖον ὑφορβόν,
denique etiam ubi utrubique sunt appellativa, sed raro,
Il. 1,310 ἔνθα δ' ἔσαν στρουθοῖο νεοσσοί, | νήπια τέκνα,
Od. 14,22 οὓς ἔθρεψε συβώτης, | ὄρχαμος ἀνδρῶν. adde 121. 15, 351. 389. 16, 36. 17, 184.

b) post vocativum Πατρόκλεις
Il, 1,337 ἀλλ' ἄγε, διογενὲς Πατρόκλεις, | ἔξαγε κούρην.
11,823 οὐκέτι, διογενὲς Πατρόκλεις, | ἄλκαρ Ἀχαιῶν ἔσσεται,
16, 7 Τίπτε δεδάκρυσαι, Πατρόκλεις, | ἠΰτε κούρη
49 διογενὲς Πατρόκλεις, | οἷον ἔειπες.
126 Ὄρσεο, διογενὲς Πατρόκλεις, | ἱπποκέλευθε!
707 Χάζεο, διογενὲς Πατρόκλεις! | οὔ νύ τοι αἶσα,
754 ὥς ἐπὶ Κεβριόνῃ, Πατρόκλεις, | ἆλσο μεμαώς.

c) succedente τέ, δέ, οὐδέ, μηδέ, vel pronomine relativo
Il. 1,159 τιμὴν ἀρνύμενοι Μενελάῳ, | σοί τε, κυνῶπα.
5,609 εἰν ἑνὶ δίφρῳ ἐόντε, Μενέσθην, | Ἀγχίαλόν τε.
8,185 Ξάνθε τε καὶ σύ, Πόδαργε, καὶ Αἴθων, | Λάμπε τε δῖε,
17,378 Θρασυμήδης, | Ἀντίλοχός τε,
1,384 πάντῃ ἀνὰ στρατὸν εὐρὺν Ἀχαιῶν. | ἄμμι δὲ μάντις
4,333 Τρώων θ' ἱπποδάμων καὶ Ἀχαιῶν· | οἱ δὲ μένοντες
471 ἀργαλέον Τρώων καὶ Ἀχαιῶν· | οἱ δέ, λύκοι ὥς,
8, 76 ἧκε σέλας μετὰ λαὸν Ἀχαιῶν· | οἱ δὲ ἰδόντες
13,690 ἦρχ' υἱὸς Πετεῶο, Μενεσθεύς· | οἱ δ' ἅμ' ἕποντο
5,103 βέβληται γὰρ ἄριστος Ἀχαιῶν· | οὐδέ ἕ φημι
2,179 ἀλλ' ἴθι νῦν κατὰ λαὸν Ἀχαιῶν, | μηδέ τ' ἐρώει·
16,845 Κρονίδης καὶ Ἀπόλλων, | οἵ μ' ἐδάμασσαν
15, 91 Κρόνου παῖς, | ὅς τοι ἀκοίτης.
Od.22,159 ἢ υἱὸς Δολίοιο, Μελανθεύς, | τόν περ ὀΐω.
4,557 Νύμφης ἐν μεγάροισι, Καλυψοῦς, | ἥ μιν ἀνάγκῃ ἴσχει item 5, 14. 17, 143.
Il. 11,499 ὄχθας πὰρ ποταμοῖο Σκαμάνδρου· | τῇ ῥα μάλιστα

Referenda haec sunt ad ea quoque, quae infra dicentur de relativo deque particulis hic commemoratis, §. 6 et 8. Ad. Il. 23, 597 infra §. 8 (δέ) redibitur.

2) in appositione quadam participii
Il. 1, 44 βῆ δὲ κατ' Οὐλύμποιο καρήνων, | χωόμενος κῆρ·

Od.12,376 αὐτίκα δ᾽ ἀθανάτοισι μετηύδα, | χωόμενος κῆρ·
153 δὴ τότ᾽ ἐγὼν ἑτάροισι μετηύδων, | ἀχνύμενος κῆρ· item 270.
Il. 3, 22 ἐρχόμενον προπάροιθεν ὁμίλου, | μακρὰ βιβῶντα,
449 ᾽Ατρείδης ἀν᾽ ὅμιλον ἐφοίτα, | θηρὶ ἐοικώς,
11,546 τρέσσε δὲ παπτήνας ἐφ᾽ ὁμίλου, | θηρὶ ἐοικὼς
5,528 ᾽Ατρείδης ἀν᾽ ὅμιλον ἐφοίτα, | πολλὰ κελεύων.
9,634 καί ῥ᾽ ὁ μὲν ἐν δήμῳ μένει αὐτοῦ, | πόλλ᾽ ἀποτίσας·
11,502 Ἕκτωρ μὲν μετὰ τοῖσιν ὁμίλει, | μέρμερα ῥέζων
15,287 ἐξαῦτις ἀνέστη, | Κῆρας ἀλύξας,
22, 37 τὸν δ᾽ ὁ γέρων ἐλεεινὰ προσηύδα, | χεῖρας ὀρεγνύς·
Od. 5,449 σά τε γούναθ᾽ ἱκάνω, | πολλὰ μογήσας. item 7,147.
17,254 τοὺς μὲν λίπεν αὐτοῦ, | ἦκα κιόντας,
444 ἔνθεν δὴ νῦν δεῦρο τόδ᾽ ἵκω, | πήματα πάσχων.
19,190 αὐτίκα δ᾽ Ἰδομενῆα μετάλλα, | ἄστυδ᾽ ἀνελθών· i. e. αὐτίκα, ὡς ἀνῆλθεν.
20,190 αὐτὸς δ᾽ αὐτ᾽ ἐρέεινε συβώτην, | ἄγχι παραστάς.
24,221 ἄσσον ἴεν πολυκάρπου ἀλωῆς, | πειρητίζων.
Il. 11,554 supra diximus legendum videri τάς τε τρέει, | ἐσσύμενός περ.

3) in exitu versus emphatico

Il. 12,171 ὥς οἵγ᾽ οὐκ ἐθέλουσι πυλάων, | καὶ δύ᾽ ἐόντε, χάσσασθαι,
382 οὐδέ κέ μιν ῥέα χείρεσσ᾽ ἀμφοτέρῃς ἔχοι ἀνὴρ, | οὐδὲ μάλ᾽ ἡβῶν,
13,237 συμφερτὴ δ᾽ ἀρετὴ πέλει ἀνδρῶν, | καὶ μάλα λυγρῶν·
15,298 τὸν δ᾽ οἴω, | καὶ μεμαῶτα, θυμῷ δείσεσθαι
Od. 3, 14 Τηλέμαχ᾽, οὐ μέν σε χρὴ ἔτ᾽ αἰδοῦς, | οὐδ᾽ ἠβαιόν·
14,364 τί σε χρὴ, | τοῖον ἐόντα,
16,307 σὲ δ᾽ ἀτιμᾷ, | τοῖον ἐόντα.

4) post ὥς, etiam ante ὥς, in comparatione

Il. 9,155 , θεὸν ὥς, | τιμήσουσιν, adde 297. Od. 5, 36. 19, 280. 23, 339.
11,58 θεὸς ὥς, | τίετο δήμῳ, et Od. 14, 205.
12,176 θεὸν ὥς, | πάντ᾽ ἀγορεῦσαι.
312 πάντες δὲ, θεοὺς ὥς, | εἰσορόωσιν, et Od. 8, 173.
22,394 ᾧ Τρῶες κατὰ ἄστυ, θεῷ ὥς, | εὐχετόωντο, et Od. 8, 467.
Od.4,160 τοῦ νῶϊ, θεοῦ ὥς, | τερπόμεθ᾽ αὐδῇ.
Il. 15,579 , κύων ὥς, | ὅστ᾽ ἐπὶ νεβρῷ cet.
16,756 , λέονθ᾽ ὥς, | δηρινθήτην,

Il. 24, 41 , λέων δ' ὥς, | ἄγρια οἶδεν,
572 λέων ὥς, | ἄλτο θύραζε
770 — πατὴρ ὥς, | ἤπιος αἰεί —
Od. 5, 12 πατὴρ ὥς, | ἤπιος ἦεν. et 15, 152.
4, 32 , πάϊς ὥς, | νήπια βάζεις.
Il. 2, 190 οὔ σε ἔοικε, κακὸν ὥς, | δειδίσσεσθαι· et 15, 196.
11, 237 , μόλιβος ὥς, | ἐτράπετ' αἰχμή.
Od. 19, 574 ἵστασχ' ἑξείης, δρυόχους ὥς, | δώδεκα πάντας.
His adde Il. 7, 235 μήτι μευ, ἠΰτε παιδὸς ἀφαυροῦ, | πειρήτιζε,
Il. 11, 239 ἕλκ' ἐπὶ οἷ μεμαώς, ὥστε λῖς· | ἐκ δ' ἄρα χειρὸς
14, 185 λευκὸν δ' ἦν, | ἠέλιος ὥς.
Od. 11, 605 κλαγγὴ νεκύων ἦν, | οἰωνῶν ὥς,
19, 234 λαμπρὸς δ' ἦν, | ἠέλιος ὥς·

5) in asyndeto

Il. 5, 577 ἀρχὸν Παφλαγόνων μεγαθύμων, | ἀσπιστάων.
10, 292 σοὶ δ' αὖ ἐγὼ ῥέξω βοῦν ἦνιν, | εὐρυμέτωπον, ἀδμήτην, item Od. 3, 382.
Od. 5, 86 ἐν θρόνῳ ἱδρύσασα φαεινῷ, | σιγαλόεντι·
16, 396 Δουλιχίου πολυπύρου, | ποιήεντος,
13, 293 σχέτλιε, ποικιλομῆτα, δόλων ἆτ', | οὐκ ἄρ' ἔμελλες
19, 346 γρηῦς ἔστι παλαιή, | κέδν' εἰδυῖα,
12, 77 οὐδέ κεν ἀμβαίη βροτὸς ἀνήρ, | οὐ καταβαίη.

6) ante relativum

Il. 9, 615 καλόν τοι σὺν ἐμοὶ τὸν κήδειν, | ὅς κέ με κήδῃ.
19, 72 ἀλλά τιν' οἴω ἀσπασίως αὐτῶν γόνυ κάμψειν, | ὅς κε φύγῃσιν
228 ἀλλὰ χρὴ τὸν μὲν καταθάπτειν, | ὅς κε θάνῃσιν
Od. 15, 21 κείνου βούλεται οἶκον ὀφέλλειν, | ὅς κεν ὀπυίοι,
16, 45 πάρα δ' ἀνήρ, | ὃς καταθήσει.
Il. 15, 37 Στυγὸς ὕδωρ, | ὅστε μέγιστος ὅρκος, item Od. 5, 185.
Od. 21, 293 οἶνός σε τρώει μελιηδής, | ὅστε καὶ ἄλλους βλάπτει
Il. 14, 490 υἱὸν Φόρβαντος πολυμήλου, | τόν ῥα μάλιστα Ἑρμείας ἐφίλει
Od. 21, 155 πολὺ φέρτερόν ἐστιν τεθνάμεν, ἢ ζώοντας ἁμαρτεῖν, | οὗθ' ἕνεκ' αἰεὶ ἐνθάδ' ὁμιλέομεν.
Il. 7, 295 καὶ ἑταίρους, | οἵ τοι ἔασιν·
Od. 6, 28 τὰ δὲ τοῖσι παρασχεῖν, | οἵ κέ σ' ἄγωνται.

15, 262 καὶ ἑταίρων, | οἵ τοι ἕπονται,

336 ἑταίρων, | οἵ μοι ἔασιν.

Il. 2, 313 ὀκτώ· ἀτὰρ μήτηρ ἐνάτη ἦν, | ἣ τέκε τέκνα. item 327.

Od. 2, 108 καὶ τότε δή τις ἔειπε γυναικῶν, | ἣ σάφα ᾔδη, item 24, 144.

22, 158 εἴ τις ἄρ' ἐστὶ γυναικῶν, | ἣ τάδε ῥέξεν,

Il. 24, 201 πῇ δή τοι φρένες οἴχονθ', | ᾗς τὸ πάρος περ

Od. 24, 281 ξεῖν', ἤτοι μὲν γαῖαν ἱκάνεις, | ἣν ἐρεείνεις·

12, 66 τῇ δ' οὔπω τις νηῦς φύγεν ἀνδρῶν, | ἥτις ἵκηται,

23, 21 εἰ γάρ τίς μ' ἄλλη γε γυναικῶν, | αἵ μοι ἔασιν,

Il, 5, 818 ἀλλ' ἔτι σῶν μέμνημαι ἐφετμέων, | ἃς ἐπέτειλας.

8, 403 αἰεὶ γάρ μοι ἔωθεν ἐνικλᾷν, | ὅττι νοήσω.

Od. 23, 175 μάλα δ' εὖ οἶδ', | οἷος ἔησθα,

Il. 19, 140 πάντα παρασχεῖν, | ὅσσα τοι ἐλθὼν . . . ὑπέσχετο

23, 50 παρά τε σχεῖν, | ὡς ἐπιεικὲς, ubi παρά τε σχέμεν scribendum videri supra diximus.

Od. 23, 191 πάχετος δ' ἦν, | ἠΰτε κίων i. e. οἷον κίονος.

His adiungere placet unum, qui exstat, versum, ubi demonstrativum in eadem sede legitur Od. 20, 273.

οὐ γὰρ Ζεὺς εἴασε Κρονίων·. | τῷ κέ μιν ἤδη
παύσαμεν ἐν μεγάροισι, λιγύν περ ἐόντ' ἀγορητήν.

Ibi quoque apparet, quae ratio inter utrumque enuntiatum intercedat; illud enim τῷ repetit ex praegressis id, quod his verbis dicas: εἰ γὰρ εἴασεν, ἤδη μιν ἐπαύσαμεν ἄν.

7) ante coniunctiones

Il. 7, 118 φημί μιν ἀσπασίως γόνυ κάμψειν, | αἴ κε φύγησιν

8, 142 ὕστερον αὖτε καὶ ἡμῖν, | αἴ κ' ἐθέλησιν, δώσει·

18, 143 εἶμι παρ' Ἥφαιστον κλυτοτέχνην, | αἴ κ' ἐθέλησιν

5, 183 σάφα δ' οὐκ οἶδ', | εἰ θεός ἐστιν.

8, 415 ὧδε γὰρ ἠπείλησε Κρόνου παῖς, | εἰ τελέει περ·

12, 333 πάπτηνεν δ' ἀνὰ πύργον Ἀχαιῶν, | εἴ τιν' ἴδοιτο

23, 792 ἀργαλέον δὲ
ποσσὶν ἐριδήσασθαι Ἀχαιοῖς, | εἰ μὴ Ἀχιλλεῖ.

24, 426 ἐπεὶ οὔποτ' ἐμὸς παῖς, | εἴ ποτ' ἔην γε, item Od. 24, 289.

Od. 3, 99 αἴ κ' ἐθέλησθα
κείνου λυγρὸν ὄλεθρον ἐνισπεῖν, | εἴ που ὄπωπας, item 4, 323.

Il. 20, 100 διελθεῖν. | εἰ δὲ θεός περ, ubi facile crediderim verum esse, quod olim edebatur πρὶν χροὸς ἀνδρομέοιο διελθέμεν, agnitum a scholiasta A. Verum tamen etiam διελθεῖν ferri poterit, modo ne puncto secernas a reliquis, id quod fecit

Wolfius. Qui aeque ad praegressa atque ad subsequentia attenderit, ei apparebit haec omnia vinculo sententiae quodam communi inter se contineri, talemque esse vim contrariorum, quae recte toleret illud *διελθεῖν*. Sic ibi Homerus:

αἰεὶ γὰρ πάρα εἷς γε θεῶν, ὃς λοιγὸν ἀμύνει·
καὶ δ' ἄλλως τοῦγ' ἰθὺ βέλος πέτετ', οὐδ' ἀπολήγει,
πρὶν χροὸς ἀνδρομέοιο διελθεῖν·|εἰ δὲ θεός περ
ἶσον τείνειεν πολέμου τέλος, οὔ με μάλα ῥέα
νικήσει, οὐδ' εἰ παγχάλκεος εὔχεται εἶναι.

Pergimus ad alia. Il. 7, 30 *ὕστερον αὖτε μαχήσοντ', εἰςόκε τέκμωρ cet.*
21, 231 *καὶ ἀμύνειν, | εἰσόκεν ἔλθῃ δείελος*
5, 249 *χαζώμεθ' ἐφ' ἵππων, | μηδέ μοι οὕτω θῦνε*
6, 195 *καλὸν φυταλιῆς καὶ ἀρούρης, | ὄφρα νέμοιτο.* item 20, 185.
15, 23 *ῥίπτασκεν τεταγὼν ἀπὸ βηλοῦ, | ὄφρ' ἂν ἵκηται γῆν*
24, 350 *στῆσαν ἄρ' ἡμιόνους τε καὶ ἵππους, | ὄφρα πίοιεν,*
Od. 3, 15 *τοὔνεκα γὰρ καὶ πόντον ἐπέπλως, | ὄφρα πύθηαι*
7, 319 *οἱ δ' ἐλόωσι γαλήνην, | ὄφρ' ἂν ἵκηαι*
12, 420 *Αὐτὰρ ἐγὼ διὰ νηὸς ἐφοίτων, | ὄφρ' ἀπὸ τοίχους λῦσε*
20, 20 *σὺ δ' ἐτόλμας, | ὄφρα σε μῆτις cet.*
8, 480 *ἀοιδοὶ τιμῆς ἔμμοροί εἰσι καὶ αἰδοῦς, | οὕνεκ' ἄρα σφέας cet.*
17, 479 *μή σε νέοι διὰ δώματ' ἐρύσσωσ', | οἷ' ἀγορεύεις* i. e. *ὅτι τοῖα ἀγορεύεις.*

Reservata ad extremum ea parte, quae longe est copiosissima, persequor illa exempla, ubi caesura fit

8) ante particulam copulativam, adversativam, disiunctivam, causalem. Harum autem particularum per se patet eam esse vim, ut quandam duorum enuntiatorum vel duarum unius enuntiati partium inter se relationem indicent.

Il. 5, 482 *ἀλλὰ καὶ ὣς Λυκίους ὀτρύνω, | καὶ μέμον' αὐτὸς ἀνδρὶ μαχήσασθαι.*
Od. 15, 360 *ὡς μὴ θάνοι, ὅστις ἔμοιγε ἐνθάδε ναιετάων φίλος εἴη, | καὶ φίλα ἔρδοι.*
423 *ἠρώτα δὴ ἔπειτα, τίς εἴη, | καὶ πόθεν ἔλθοι·* item 17, 368.
18, 377 *αὐτὰρ ἐμοὶ σάκος εἴη, | καὶ δύο δοῦρε, καὶ κυνέη*
21, 67 *αὐτίκα δὲ μνηστῆρσι μετηύδα, | καὶ φάτο μῦθον·*
Il. 24, 7 *ἠδ' ὁπόσα τολύπευσε σὺν αὐτῷ, | καὶ πάθεν ἄλγεα,* ubi rectius sustuleris interpunctionem.
2, 121 *ἄπρηκτον πόλεμον πολεμίζειν, | ἠδὲ μάχεσθαι ἀνδράσι παυροτέροισι*

10,374 ὁ δ' ἄρ' ἔστη,| τάρβησέν τε,
11, 83 ὄλλυντάς τ', | ὀλλυμένους τε.
163 Ἕκτορα δ' ἐκ βελέων ὕπαγε Ζεύς,|ἔκ τε κονίης,
17,444 ἀγήρω τ', | ἀθανάτω τε.
22,338 λίσσομ' ὑπὲρ ψυχῆς, καὶ γούνων, | σῶν τε τοκήων
23,666 ἅψατο δ' ἡμιόνου ταλαεργοῦ, | φώνησέν τε, de quo versu dictum est supra not. 8.
24,706 μέγα χάρμα πόλει τ' ἦν,| παντί τε δήμῳ
Od. 2,153 δρυψαμένω δ' ὀνύχεσσι παρειάς, | ἀμφί τε δειράς,
3, 33 κρέα ὤπτων, | ἄλλα τ' ἔπειρον.
5,338 ἷζε δ' ἐπὶ σχεδίης πολυδέσμου, | εἶπέ τε μῦθον·
20,330 τόφρ' οὔτις νέμεσις μενέμεν τ' ἦν, | ἰσχέμεναί τε μνηστῆρας κατὰ δώματ'·
Il. 8, 78 ἔνθ' οὔτ' Ἰδομενεὺς τλῆ μίμνειν,|οὔτ' Ἀγαμέμνων
9,408 ἀνδρὸς δὲ ψυχὴ, πάλιν ἐλθεῖν, | οὔτε λεϊστή, οὔθ' ἑλετή, ubi tamen tollenda sunt commata post ψυχή et ἐλθεῖν posita.
13,284 τοῦ δ' ἀγαθοῦ οὔτ' ἂρ τρέπεται χρώς,|οὔτε τι λίην ταρβεῖ,
22,200 οὔτ' ἄρ' ὁ τὸν δύναται ὑποφεύγειν,|οὔθ' ὁ διώκειν
Od. 4, 87 οὔτε ἄναξ ἐπιδευὴς|οὔτε τι ποιμήν, τυροῦ cet.
818 οὔτε πόνων εὖ εἰδὼς,|οὔτ' ἀγοράων,
16,362 οὐδέ τιν' ἄλλον εἴων οὔτε νέων μεταΐζειν, | οὔτε γερόντων.
Il. 4, 22 ἤτοι Ἀθηναίη ἀκέων ἦν, | οὐδέ τι εἶπεν, item 8, 449.
510 ἐπεὶ οὔ σφι λίθος χρὼς,|οὐδὲ σίδηρος,
6,139 καί μιν τυφλὸν ἔθηκε Κρόνου παῖς·|οὐδ' ἄρ' ἔτι δὴν ἦν,
9,551 τόφρα δὲ Κουρήτεσσι κακῶς ἦν·|οὐδ' ἐδύναντο τείχεος ἔκτοσθεν μίμνειν,
11,717 ἀλλὰ μάλ' ἐσσυμένους πολεμίζειν·|οὐδέ με Νηλεὺς εἴα θωρήσσεσθαι,
14,132 οἳ τὸ πάρος περ θυμῷ ἦρα φέροντες ἀφεστᾶσ',|οὐδὲ μάχονται.
17,733 τῶν δὲ τράπετο χρὼς,|οὐδέ τις ἔτλη
19, 79 ἑσταότος μὲν καλὸν ἀκούειν, | οὐδὲ ἔοικεν ὑββάλλειν
20,421 κάρ ῥά οἱ ὀφθαλμῶν κέχυτ' ἀχλύς· | οὐδ' ἄρ' ἔτ' ἔτλη
467 οὐ γάρ τι γλυκύθυμος ἀνὴρ ἦν, | οὐδ' ἀγανόφρων, ἀλλά
21,303 πρὸς ῥόον ἀΐσσοντος ἀν' ἰθύν· | οὐδέ μιν ἔσχεν εὐρυρέων ποταμός

Od. 2, 370 οὐδέ τί σε χρὴ
πόντον ἐπ' ἀτρύγετον κακὰ πάσχειν, | οὐδ' ἀλάλησθαι.

3, 184 ὣς ἦλθον, φίλε τέκνον, ἀπευθής· | οὐδέ τι οἶδα

8, 298 οὐδέ τι κινῆσαι μελέων ἦν, | οὐδ' ἀναεῖραι.

9, 144 ἀὴρ γὰρ παρὰ νηυσὶ βαθεῖ' ἦν, | οὐδὲ Σελήνη προὔφαινε·

10, 26 ὄφρα φέροι (Ζέφυρος) νῆάς τε καὶ αὐτούς· | οὐδ' ἄρ' ἔμελλεν ἐκτελέειν

32 αἰεὶ γὰρ πόδα νηὸς ἐνώμων, | οὐδέ τῳ ἄλλῳ δῶχ' ἑτάρων,

11, 514 οὔποτ' ἐνὶ πληθυῖ μένεν ἀνδρῶν, | οὐδ' ἐν ὁμίλῳ,

12, 75 τὸ μὲν οὔποτ' ἐρωεῖ, | οὐδέ ποτ' αἴθρη κείνου ἔχει κορυφὴν

15, 393 ἔστι μὲν εὕδειν,
ἔστι δὲ τερπομένοισιν ἀκούειν· | οὐδέ τί σε χρὴ

17, 283 οὐ γάρ τι πληγέων ἀδαήμων, | οὐδὲ βολάων·

20, 294 οὐ γὰρ καλὸν ἀτέμβειν, | οὐδὲ δίκαιον, item 21, 312.

21, 184 τῷ ῥα νέοι θάλποντες ἐπειρῶντ'· | οὐδ' ἐδύναντο ἐντανύσαι

23, 308 ἡ δ' ἄρ' ἐτέρπετ' ἀκούουσ', | οὐδέ οἱ ὕπνος πίπτει ἐπὶ βλ.

1, 289 εἰ δέ κε τεθνηῶτος ἀκούσῃς, | μηδ' ἔτ' ἐόντος, item 2, 220.

Il. 2, 363 ὡς φρήτρη φρήτρηφιν ἀρήγῃ, | φῦλα δὲ φύλοις.

4, 116 αὐτὰρ ὁ σύλα πῶμα φαρέτρης, | ἐκ δ' ἕλετ' ἰὸν

292 ὣς εἰπὼν τοὺς μὲν λίπεν αὐτοῦ, | βῆ δὲ μετ' ἄλλους, item 364.

5, 834 νῦν δὲ μετὰ Τρώεσσιν ὁμιλεῖ, | τῶν δὲ λέλασται

7, 12 βάλ' .. αὐχέν' ὑπὸ στεφάνης εὐχάλκου, | λῦσε δὲ γυῖα.

8, 109 τούτω μὲν θεράποντε κομείτων· | τώδε δὲ νῶϊ

11, 65 ἄλλοτε δ' ἐν πυμάτοισι κελεύων· | πᾶς δ' ἄρα χαλκῷ λάμπε

14, 121 Ἀδρήστοιο δ' ἔγημε θυγατρῶν, | ναῖε δὲ δῶμα ἀφνειόν,

428 ἀσπίδας εὐκύκλους σχέθον αὐτοῦ· | τὸν δ' ἄρ' ἑταῖρος

15, 537 ῥῆξε δ' ἀφ' ἵππειον λόφον αὐτοῦ· | πᾶς δὲ χαμᾶζε κάππεσεν

16, 834 τάων δὲ πρόσθ' Ἕκτορος ὠκέες ἵπποι
ποσσὶν ὀρωρέχαται πολεμίζειν· | ἔγχεϊ δ' αὐτὸς Τρωσὶ μεταπρέπω,

18, 391 κέκλετο δ' Ἥφαιστον κλυτοτέχνην, | εἶπε δὲ μῦθον.

Il. 18, 468 τὴν μὲν λίπεν αὐτοῦ, | βῆ δ' ἐπὶ φύσας·
23, 454 ὃς τὸ μὲν ἄλλο τόσον φοῖνιξ ἦν, | ἐν δὲ μετώπῳ
597 ἵππον
ἐν χείρεσσι τίθει Μενελάου. | τοῖο δὲ θυμὸς
ἰάνθη, ubi perperam punctum positum; significatur enim res statim inde consecuta; et v. §. 1. c.
Od. 2, 416 ἂν δ' ἄρα Τηλέμαχος νηὸς βαῖν', | ἦρχε δ' Ἀθήνη. adde 3, 12.
5, 452 πρόσθε δέ οἱ ποίησε γαλήνην, | τὸν δ' ἐσάωσεν
7, 264 πέμπε δ' ἐπὶ σχεδίης πολυδέσμου· | πολλὰ δ' ἔδωκεν,
10, 529 ἱέμενος ποταμοῖο ῥοάων· | ἔνθα δὲ πολλαὶ
ψυχαὶ ἐλεύσονται
15, 164 ὁ δέ σφισιν ἐγγύθεν ἐλθὼν (αἰετὸς)
δεξιὸς ἤϊξε πρόσθ' ἵππων· | οἱ δὲ ἰδόντες
γήθησαν,
16, 278 ἀλλ' ἤτοι παύεσθαι ἀνώγεμεν ἀφροσυνάων,
μειλιχίοις ἐπέεσσι παραυδῶν· | οἱ δέ τοι οὔτι
πείσονται·
330 οὕνεκα Τηλέμαχος μὲν ἐπ' ἀγροῦ, | νῆα δ' ἀνώγει
ἄστυδ' ἀποπλείειν·
17, 329 τὸν δὲ πολὺ πρῶτος ἴδε Τηλέμαχος θεοειδής,
ἐρχόμενον κατὰ δῶμα, συβώτην· | ὦκα δ' ἔπειτα
νεῦσ', ἐπί οἱ καλέσας,
20, 252 σπλάγχνα δ' ἄρ' ὀπτήσαντες ἐνώμων· | ἐν δέ τε οἶνον
κρητῆρσιν κεράοντο·
22, 386 δικτύῳ ἐξέρυσαν πολυωπῷ· | οἱ δέ τε πάντες,
20, 160 Ἐς δ' ἦλθον δρηστῆρες Ἀχαιῶν· | οἱ μὲν ἔπειτα
εὖ καὶ ἐπισταμένως κέασαν ξύλα·
Il. 3, 393 οὐδέ κε φαίης
ἀνδρὶ μαχησάμενον τόνγ' ἐλθεῖν, | ἀλλὰ χορόνδε
ἔρχεσθαι.
9, 250 οὐδέ τι μῆχος
ῥεχθέντος κακοῦ ἔστ' ἄκος εὑρεῖν· | ἀλλὰ πολὺ πρὶν
φράζευ, ὅπως Δαναοῖσιν ἀλεξήσεις κακὸν ἦμαρ.
13, 556 οὐ μὲν γάρ ποτ' ἄνευ δηΐων ἦν, | ἀλλὰ κατ' αὐτοὺς
στρωφᾶτο·
19, 71 αἴ κ' ἐθέλωσ' ἐπὶ νηυσὶν ἰαύειν· | ἀλλά τιν' οἴω
ἀσπασίως αὐτῶν γόνυ κάμψειν
23, 70 οὐ μέν μευ ζώοντος ἀκήδεις, | ἀλλὰ θανόντος·
24, 554 μή μέ πω ἐς θρόνον ἵζε, . . . , ὄφρα κεν Ἕκτωρ

κεῖται ἐνὶ κλισίῃσιν ἀκηδής· | ἀλλὰ τάχιστα λῦσον,
Od. 11, 344 οὐ μὰν ἡμιν ἀπὸ σκοποῦ οὐδ' ἀπὸ δόξης
μυθεῖται βασίλεια περίφρων· | ἀλλὰ πίθεσθε·
21, 259 τίς δέ κε τόξα τιταίνοιτ'; | ἀλλὰ ἕκηλοι
κάτθετε·
24, 223 οὐδ' εὗρεν Δολίον, . . .
οὐδέ τινα δμώων, οὐδ' υἱῶν· | ἀλλ' ἄρα τοίγε
αἱμασιὰς λέξοντες . . . ᾤχοντο.
Il. 11, 38 τῆς δ' ἐξ ἀργύρεος τελαμὼν ἦν· | αὐτὰρ ἐπ' αὐτῷ
κυάνεος ἐλέλικτο δράκων.
13, 799 πρὸ μέν τ' ἄλλ', | αὐτὰρ ἐπ' ἄλλα·
24, 325 πρόσθε μὲν ἡμίονοι . . .
τὰς Ἰδαῖος ἔλαυνε δαΐφρων· | αὐτὰρ ὄπισθεν ἵπποι
5, 484 οἷόν κ' ἠὲ φέροιεν Ἀχαιοί, | ἤ κεν ἄγοιεν
10, 445 ἤ ῥα κατ' αἶσαν ἔειπον ἐν ὑμῖν, | ἠὲ καὶ οὐκί.
21, 111 ἢ ἠὼς, ἢ δείλη, | ἢ μέσον ἦμαρ
24, 408 ἢ ἔτι πὰρ νήεσσιν ἐμὸς παῖς, | ἦέ μιν ἤδη
Od. 8, 488 ἢ σέγε Μοῦσ' ἐδίδαξε, Διὸς παῖς, | ἢ σέγ' Ἀπόλλων.
21, 197 ἤ κε μνηστήρεσσιν ἀμύνοιτ', | ἢ Ὀδυσῆϊ;
Il. 9, 276 ἢ θέμις ἐστὶν, ἄναξ, ἤτ' ἀνδρῶν, | ἤτε γυναικῶν.
item 19, 177.
11, 410 ἤτ' ἔβλητ', | ἤτ' ἔβαλ' ἄλλον.
17, 42 ἤτ' ἀλκῆς, | ἤτε φόβοιο.

Praeterea ἤ in comparatione
23, 315 μῆτι τοι δρυτόμος μέγ' ἀμείνων, | ἠὲ βίηφιν

et simplex ἤ respiciens ad praegressum enuntiatum
Il. 24, 356 ἀλλ' ἄγε δὴ φεύγωμεν ἐφ' ἵππων, | ἤ μιν ἔπειτα
γούνων ἁψάμενοι λιτανεύσομεν,

i. e. aut fugiamus, aut supplicemus.
Il. 24, 401 νῦν δ' ἦλθον πεδίονδ' ἀπὸ νηῶν· | ἠῶθεν γὰρ
θήσονται περὶ ἄστυ μάχην
Od. 11, 623 καί ποτέ μ' ἐνθάδ' ἔπεμψε κύν' ἄξοντ'· | οὐ γὰρ ἔτ' ἄλλον
φράζετο τοῦδέ τί μοι χαλεπώτερον εἶναι ἄεθλον.
17, 424 ἀλλὰ Ζεὺς ἀλάπαξε Κρονίων — | ἤθελε γάρ που —
item 19, 80.

i. e. pugnaturi scilicet — ratus scilicet — placuit ei scilicet.

Multa haec sunt, quae caesurae ante quintum pedem post spondeum factae collegi exempla, et tamen, si cum ingenti ver-

suum Homericorum multitudine comparaveris, admodum pauca; dedi autem operam sedulo, ne quod a me praetermitteretur.

Interdum plenius interpunxit Wolfius cum alibi, tum ubi aperte Homerus ante significat ad alia se transiturum. Ubi ita quasi se proclinat oratio ad sequentia, id ipsum lenius interpungendo erat indicandum; neque enim patitur ea proclinatio vocem multum submitti aut subsistere ante interpunctionem. Proponam insigniora quaedam exempla huius rei. Il. 1, 428 sqq. haec leguntur:

Ὣς ἄρα φωνήσασ' (Thetis) *ἀπεβήσατο, τὸν δ' ἔλιπ' αὐτοῦ*
χωόμενον κατὰ θυμὸν ἐϋζώνοιο γυναικὸς,
τήν ῥα βίῃ ἀέκοντος ἀπηύρων. | — *Αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς*
ἐς Χρύσην ἵκανεν ***cet.***

Omisi comma, quod Wolfius posuit post *θυμόν*, praeterea colon, quod est post *ἀπεβήσατο*, cum commate commutavi. Sed vs. 430 quoque mutanda est interpunctio; respicitur enim non ad novum, sed ad ante iam praeparatum negotium, quod exsequitur Ulixes. Mens poetae haec est: „Haec igitur sic dicta actaque sunt, Ulixes autem fecit, quae ei imperata sunt." Similis quaedam orationis conformatio deprehenditur eodem libro vs. 345 sqq.:

Ὣς φάτο· Πάτροκλος δὲ φίλῳ ἐπεπείθεθ' ἑταίρῳ·
ἐκ δ' ἄγαγε κλισίης Βρισηΐδα καλλιπάρῃον,
δῶκε δ' ἄγειν. τὼ δ' αὖτις ἴτην παρὰ νῆας Ἀχαιῶν·
ἡ δ' ἀέκουσ' ἅμα τοῖσι γυνὴ κίεν. — Αὐτὰρ Ἀχιλλεὺς
δακρύσας ἑτάρων ἄφαρ ἕζετο ***cet.***

Repraesentavi hic Wolfianas interpunctiones iterum bene cohaerentia dissolventes. Nec recte punctum ponitur libro 2, 84:

Ὣς ἄρα φωνήσας βουλῆς ἐξ ἦρχε νέεσθαι.
οἱ δ' ἐπανάστησαν . . . σκηπτοῦχοι βασιλῆες, ***cet.***

Eodem libro similiter erratur vs. 149:

147 *ὡς δ' ὅτε κινήσει Ζέφυρος βαθὺ λήϊον . . .*
149 *ὣς τῶν πᾶσ' ἀγορὴ κινήθη.* | *τοὶ δ' ἀλαλητῷ*
νῆας ἐπεσσεύοντο ***cet.***

Post *κινήθη* vel colon vel comma ponendum. Sententia haec est: talem in modum commoti multo cum clamore ruebant ad naves.

Ex Hymnis Homericis ad ipsius Homeri in hoc genere consuetudinem propius accedunt primus et secundus, tertium quartum-

que, i. e. Hymnos in Venerem et Cererem [10]), aetate illis aliquanto inferiores esse recte, puto, **Anthoni**, colligemus ex eo, quod in his nusquam post quartum pedem inciditur, nisi is pes constet dactylo. Ex heroici carminis auctoribus ceteris unum sat habeo verbo attingere Apollonium Rhodium. Hic tantum non ubique dactylum ponit quarto pede, si post eum pedem interpungitur. Certa exempla contrarii generis, tria omnino, ea sunt, ubi rei comparatae particula ὥς subiungitur, ut saepe apud Homerum:

2, 566 *ἄλμη ἀναβρασθεῖσα, νέφος ὥς· | αὖε δὲ πόντος σμερδαλέον*
4, 1338 *, λέων ὥς, | ὅς ῥά τ' ἀν' ὕλην* *cet.*
4, 1145 *πάσας δὲ, πυρὸς ὣς, | ἄμφεπεν αἴγλη·* quamquam hic quidem vix satis recte incisionem admiseris. Reliqua duo dubia sunt; nam 2, 1190

πρὶν καὶ πετράων σχεδὸν ἐλθεῖν, | αἵ τ' ἐνὶ πόντῳ *cet.*

quis dubitet, quin *ἐλθέμεν* scripserit poeta; neque mirabor, **Anthoni**, si 1, 1047

ἠδὲ καὶ Ἀρτακέα, πρόμον ἀνδρῶν· | οὓς ἔτι πάντας *cet.*

Apollonium *πρόμον ἀνδράσιν* scripsisse suspicabere, i. e. qui ante primam aciem pugnet contra hostium *προμάχους*, ut apud Homerum Il. 7, 75:

δεῦρ' ἴτω ἐκ πάντων, π ρ ό μ ο ς ἔμμεναι Ἕκτορι δίῳ. adde 22, 85.

Denique 3, 701

λίσσομ' ὑπὲρ μακάρων, σέο τ' αὐτῆς, | ἠδὲ τοκήων

nulla omnino caesura statuenda, sed potius altera pars versus uno tenore ac sine ulla intermissione vocis pronuntianda est.

Iam ut eo redeam, unde profecta est omnis haec quaestio, apparet Homerum quoque naturali quodam recti sensu ductum vitasse vitiosam illam, quam Lachmannus Vergilio intulit, caesuram A. 5, 274

Aerea quem obliquum rota transit, | aut gravis ictu *cet.*

At erit fortasse, qui me ipsum supra (§. 8 non longe a fine) exempla eiusmodi caesurae ante particulam ἤ factae produxisse dicat. Haec qui accuratius consideraverit, comprobatum inveniet id, quod dixi principio, ubi talis caesura admittatur, valere vim praegressae orationis ad ea, quae subsequantur. Probus esset versus ille Vergilianus talis, qualem esse voluit Lachmannus, si

10) De hoc vid. quae scripsit **Bernhardy** *Grundriss d. Griech. Litteratur* edit. sec. Vol. II. Tom. I. p. 180.

prior etiam pars particulam *aut* haberet, quae animum statim ad ea, quae subiunguntur, attendere iuberet.

Verum haec satis, aut plus etiam, quam satis.

Aen. 2, 503. *Quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum, ampla* pro *tanta* scripsit Ladewigius; ubi Vir doctissimus primum non vidit vel praegresso pronomine *illi* valde commendari lectionem *tanta*, tum fortasse visus est sibi Medicei illius optimi auctoritati obtemperare; at is habet *tanta;* contra *ampla* est in Mediceo Pierii, cum illius praestantia non comparando.

Aen. 2, 616. *Pallas* . . nimbo *effulgens et Gorgone saeva.*

Cui non arrideat, quod in Moret. sec. pro varia lectione adscriptum est *limbo eff.*, receptum a Ladewigio et Hauptio. Verum tamen codicum ceterorum fidem negligere non licet, nisi ubi nulla probabilis eius defendendae via reperta fuerit. Atqui ego duplicem rationem videre mihi videor, qua lectionem per omnes superiores editiones propagatam tueamur. Una haec est, ut dicamus Venerem ita acuisse oculos Aeneae (vs. 604 sqq.) ut e nimbo, quo circumfusi dii ad terram descendere solent (8, 608), effulgere deam possit cernere. Hoc qui tenent, *saeva* non pro ablativo, sed pro nominativo habebunt, ut „saevus securi Torquatus" 6, 825; dicetur autem Pallas Gorgone saevă quippe hostibus vel ostendens vel intentans aegidem cum capite Gorgonis horrifero. Sed erit fortasse non nemo, qui praeferat alteram, quam iam propositurus sum, explicationem: Pallas effulget, ex nocturna scilicet caligine, nimbo et Gorgone. Nempe, cum hic Minerva bello se immisceat, eiusmodi nimbo circumdatam esse putabimus, quo tali tempore cincta esse soleret, quoque similiter, ut Gorgone, cognosci posset; nimirum talem intelligemus nimbum, qualem Iuno videtur significare 12, 811 „flammis cincta sub ipsa starem acie". Gorgone autem effulget non, opinor, quod ea, ut Chimaera in galea Turni 7, 786, ipsa ignivoma sit, sed quod lorica vel clipeus, cui imposita est Gorgo, flammas vomit.

Aen. 2, 683. molli *Lambere flamma comas.*
mollis Ladewigius, quod ipse tuitus sum in maiore editione; operarum culpa litera extrema omissa est in minore editione prima, unde id mendum propagatum in alteram.

Aen. 2, 691. *Da deinde* auxilium, *pater*, *atque haec omina firma. augurium* a Peerlkampio coniectura repertum, tum a Keilio commendatum, receptum a Ladewigio et Hauptio. Negat Peerlkam-

pius se videre, in qua re differant *Adspice nos* et *da auxilium;* mihi quidem haec aeque diversa videntur ac voluntas et effectus. Equidem non audeo unanimem consensum librorum mss. contemnere. Anchises viso illo omine laetus precatur a Iove auxilium; eo enim dando confirmabatur omen; Iuppiter ratas se facturum preces Anchisae ostendit tonitru. Eam rem Servius rettulit ad disciplinam pontificalem, de qua hoc loco exponit. En eius verba: „Haec omina firma. Secundum Romanum morem petit, ut visa firmentur; non enim unum augurium vidisse sufficit, nisi confirmetur ex simili; nam si dissimilia sint posteriora, solvuntur priora," et paulo post: „Intonuit laevum. Hoc loco pontificalis inducitur disciplina, nam ostendit Anchisen, cum vellet fugam filii sequi, omine, quod de Ascanii capite se obtulit, a diis commonitum, petisse de caelo confirmationem, subiungit enim *Vix ea . . . . Intonuit laevum*". Haec verba Servii si cui videbuntur, ut visa sunt, coniecturae illi favere, nescio an idem Servius codicum lectioni, *auxilium*, praesidii aliquid comparet; si enim Servius legit *augurium*, iure mirabimur, quod omnis eius disputatio ad verba *haec omina firma* et ad illa *Intonuit laevum* pertinet, omissis verbis *Da deinde augurium* minime illis quidem negligendis. Parum probat mancum Probi scholion, quod est apud Pomponium Sabinum; videtur tamen Probus in similem eandemve coniecturam incidisse, in quam Peerlkampius, id quod probat Cynthius Celetensis a Keilio laudatus. Denique, nisi fallor, poeta ipse adversatur ei coniecturae; nam illud, quod adiicitur, *si pietate meremur*, mihi quidem ad maius quidpiam, auxilium, videtur spectare, quam ad omen alio viso firmandum; nam sine praesenti auxilio deorum e tantis, quae circumstabant, periculis evasuros se sperare non poterant.

Aen. 2, 778. *comitem hinc portare* edunt Paldamus et Ladewigius, *comitem portare* ego et Hauptius; neque habeo, quare a rationibus olim a me propositis nunc discedam.

Aen. 3, 76. (Delum) *Mycono e celsa Gyaroque revinxit. Mycono celsa* ediderunt Ladewigius et Hauptius, sed, ni fallor, non ob eandem causam uterque. Ladewigius quidem hac utitur ratione, ut dicat in revincienda Delo non referre, ubi constiterit Apollo, cum revinciret Delum, sed quo voluerit loco in posterum fixam esse eam insulam. At ne cogitavit quidem poeta de loco, ubi Apollo constiterit, sed facit eum quaedam tendere vincula (cate-

nas appellat Petronius) quibus Delus posthac e Mycono Gyaroque apta sit. Illud potius refert, utrum h. l. necessaria sit praepositio necne. Ac mihi persuasum est non recte iudicare, qui eam sublatam velint; neque enim idem est *Mycono revincire* et *e Mycono revincire;* illud significat vinciendo colligare, (id quod nullo modo huc quadrat) hoc sic vincire, ut res revincta ita teneatur, ut non possit ab eo, unde revincta est, longius abire, quam vinculum patitur; idque solum huic loco convenit; frustra autem erit, si quis mihi opposuerit illud *religare classem litore*, i. e. ex trunco, saxo similive re, quae est in litore. Itaque hoc relinquitur quaerendum, probarine possit haec elisio *Mycono e* necne. Ac de elisione cum Carolus Lachmannus in commentario Lucretiano exquisitae doctrinae copiis referto compluribus locis eruditissime subtilissimeque disputaverit, restat tamen pars omnium obscurissima atque ad enucleandum difficillima, qua ostendatur, quomodo in quoque syllabarum concursu elisio vel potius, ut Hermanno Elem. Doctr. M. pag. 62 videtur, συνεκφώνησις facta sit. Multum veteres Grammatici Latini in ea re utuntur synaloephae nomine, quo quidem id tantum significant, coalescere in pronuntiando duas voces in unam. Sed apparet id varie fieri potuisse nec elisiones, quae sunt in *atque ea*, *multum ille*, *ago hanc*, *ibo et*, *Latio aut*, *locum et*, *divini opus*, *primo aquilone*, cet. eodem modo omnes factas esse; aut quomodo distinxeris inter se *loci et*, *locum et*, *loco et*, *divinum opus*, *divini opus?* Silent Grammatici de his inter se discriminandis, nisi quod de elidenda litera *m* quaedam traduntur. Unde intelligi videtur eos, quorum quidem exstant scripta de metris, ignorasse hanc rationem nec videri omnino potuisse de synaloephae ratione accurate praecipere; quam ipsam donec ignorabimus (nec desinemus, opinor, ignorare) difficile est ubique dicere, quid et quare quidque aures Romanae aut probarint aut recusarint. Deprehenduntur in eo genere apud Vergilium quaedam inusitatiora, quale hoc ipsum est *Mycono e celsa*, tum *Rhoeteo in litore* A. 6, 505 et *Alpheae ab origine Pisae* 10, 179. Facile est his locis omnibus praepositiones delere; at tuetur eas Mediceus, et ter in eadem causa eundem emendandi modum adhibere religio est. Atque ista cum sint singularia, alia similis generis singularia comparabimus, quae respuunt emendationem, *Argivae Helenae* 1, 650, *antiquae ab origine* 1, 642, (ὀξεῖ' ὀδύναι autem apud Hom. Il. 11, 272, confirmatum vs. 268, qui probabiliter emenda-

ret, nemo inventus est) *Electrā ut* 8, 135, *Circe in voltus* 7, 20, *Idaeo Alcanore* 9, 672, *Coeo Enceladoque* 4, 179, *Epiro Hesperia* 1, 650, *Allecto infecta* 7, 341 et *Allecto in Teucros* 7, 476, addo *Dahae et* 8, 728 et *Ionio in magno* 3, 211, ubi omnes libri servant praepositionem; nec dubitaverim, quin turbae 11, 243 in nomine Diomedis factae optime componantur revocata lectione *Diomede Argivaque castra*, quam formam praeterea inusitatam censuit, opinor, poeta apte convenire Venuli legati, inprimis gravis hominis, personae (notabilia sunt in eadem oratione *Argyrīpam* et bis brevi intervallo contracti genetivi *Protei* et *Idomenei*): et si Vergilius etiam in parvis imitatus est Homerum, obversari ei potuerunt *Τυδῆ* Il. 4, 384. *Ὀδυσῆ* Od. 19, 136. et *Μηκιστῆ* Il. 15, 339. Lachmanno *Diomedem* verum videtur ad Lucret. 1, 739, quamquam idem ad 3, 917 Catullo genetivum graece formatum *Idomeneus* restituit. Ac nescio quomodo accidit, ut viro longe eruditissimo vix semel assentiri possim in emendando Vergilio; nam et iam Georg. 3, 338, ubi *alcyonen* castitati Vergilianae non satis convenire ait (ad Lucret. 3, 383), hanc ipsam formam, consensu codicum prope communi propugnatam, aptiorem esse iudico propter subiectam alteram item graecam *acalanthida*. Cui opinioni si opponas mixtas graecas latinasque formas Georg. 1, 138 *Lycaonis Arcton*, Aen. 3, 270 sq. *Zacynthos*, *Dulichium*que *Same*que et *Neritos*, noluit scribere *Lycaonos* poeta, quia hac forma genetivi, excepto *Panos* nomine, abstinet, *Dulichionque* autem Romanorum auribus erat absonum, quare etiam *Thapsumque* scripsit Aen. 3, 689. Facile autem adsentior Lachmanno (ad Lucret. 4, 1169) neganti Vergilium Aen. 5, 620 scripsisse *Beroe Ismarii;* nec expedit rem, quod Aemilius Hoffmann coniectura repperit *Beroe et miseri*. Optimum factu fortasse fuerit tenere, quod principio exaratum est in Mediceo, *Marii;* idque putabimus adiectivum esse e nomine *Μάρος* declinatum, quem Troianum hominem fuisse existimabimus, ut Marius Doryclus similiter dictus sit ac Telamonius Aiax, Hicetaonius Thymoetes, Amythaonius Melampus, Ledaea Hermione vel Helena, Nereia Doto. Certe *Μάρις* inter principes Troianos numeratur ab Homero Il. 17, 319. Et *Marius* a Maro ductum est, ut *Iulius* ab Iulo, *Tullius* a Tullo, *Valerius* a Valero Aen. 10, 752, ubi quae adiiciuntur *haud expers virtutis avitae* paene loquuntur hunc Valerum a poeta in numero poni avorum Valeriae gen-

tis [11]). Atque ut minime est verisimile Valeriorum mentionem in Aeneide, illo quasi speculo virtutis Romanae, iniectam esse nullam, sic aegre desiderabimus praeteritum C. Marium in hoc potissimum carmine. Quem si poeta tangere h. l. voluit, (et voluit, opinor) de industria putandus est delegisse nomen Dorycli, quo virum bello egregium significaret. Ipsum autem nomen *Marus* legi creditur in Mommsenii Inscr. Neap. 718, tum apud Gruter. pag. 334, 6 et apud Murator. pag. 1767, 14. Praeterea ipse Aen. 9, 685 Medicei aliorumque librorum testimonio confisus *Marus* nunc censeo scribendum esse, non *Tmarus*.

Aen. 3, 82. *adgnovit* Ladewigius, contra Mediceus, quem Ladewigius fere sequitur, *adgnoscit*, ut est in Hauptiana editione.

Aen. 3, 149. *ab Troia* Ladewigius, *a Troia* Mediceus, quod mecum tenet Hauptius.

Aen. 3, 319. *Heu, quis te casus deiectam coniuge tanto*
Excipit? aut quae digna satis fortuna revisit?
Hectoris Andromache *Pyrrhin conubia servas?*

sic ego atque Hauptius, contra Ladewigius: „*quae d. s. f. revisit Hectoris* Andromachen?" *Andromache* est in Mediceo, et si vel non esset, Anthoni, contenderes ita scripsisse Vergilium, nam apparet ita sensum effici multo efficaciorem ac nervosiorem per opposita inter se nomina Hectoris et Pyrrhi.

Aen. 3, 340 sq.

339. *Quid puer Ascanius? superatne? et vescitur aura*
40. *Quae tibi iam Troia —*
41. *Ecqua tamen puero est amissae cura parentis?*
42. *Ecquid in antiquam virtutem animosque virilis*
43. *Et pater Aeneas et avunculus excitat Hector?*

Sic ego edidi; obelos apposuit versibus 340 et 341 Ladewigius, quamquam difficile dictu est, unde huc immigrasse censeas. Nec video, sublatis his versibus, quam commode versum 339 excipiat versus 342; nam cum vs. 339 dubium relictum sit, vivatne Ascanius necne, versibus 342 et 343 de eodem tamquam vivo agitur. Hac aut simili ratione motus videtur Hauptius, ut etiam vs. 342 sq. resecaret. Color orationis in his versibus est Vergilianus; quare a Vergilio profectos esse etiamnunc statuo, sed locum hunc inter emendandos relictum arbitror.

11) Erravi igitur, cum *Eleg. ad M. Valer. Messall.* p. 12 scripsi laudem Valeriorum silentio transmissam esse a Vergilio.

Aen. 4, 285 sq. *Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,*
In partisque rapit varias perque omnia versat.
Haec alternanti potior sententia visa est.

Hauptius cum Brunckio versus 285 et 286 seclusit a ceteris tamquam adventicios, Ladewigius solum versum 286, quem fragm. Vat. et Palatino deesse refert Ribbeckius pag. 39. Si quis in eo quoque aliquod argumenti pondus esse putaverit, quod horum versuum apud Servium nulla exstat interpretatio, exstat autem 8, 20 sq., ubi iidem a poeta repetuntur, Donati potest opponi auctoritas, quem eos legisse liquido apparet, ut taceam (quod apud me non ita multum valet) ne illam quidem versuum 8, 20 sq. interpretationem a vetustioribus Servii editionibus exhiberi. Libros Vergilii mss. si spectamus, Palatini fides cum Mediceo collata exigua est, nulla hic fragmenti Vaticani, ut ostendi in Varr. Lectt.; restat Gudianus, in quo vs. 286 a sec. m. adlitus est, casu igitur omissus videri potest. Quae cum ita sint, non satis causae video, quare hos versus non a Vergilio insertos statuam. At fortasse inest in ipsa sententia aliquid, quod alienos esse ab hoc loco arguat. Nec mirabor, si quis negaverit convenire inter se vs. 286 et 287; cum enim his verbis *in partisque rapit varias perque omnia versat* magna consiliorum varietas indicari videatur, obstare illa *haec alternanti potior sententia visa*, quae non ex multis aliquod, sed ex duobus tantum consiliis unum Aeneae fuisse eligendum doceant. Ac profecto non multiplex esse debuit, sed duplex; id enim agitur, utrum iter iam decretum clam paret, an palam, aperte rem enuntiet Didoni, an per ambages eam aggrediatur? Sed paratum est, quod ad haec respondeamus. Utrumcumque enim facturus erat Aeneas, multa erant animo expendenda, quae aut impedire rem aut adiuvare possent, nec satis erat consilium cepisse, sed invenienda erat ex variis efficiendi rationibus ea, quae ad peragenda, quae vellet, esset aptissima. Itaque nec dubium erit, cuius generis sint illae variae partes et ista omnia, per quae versat animum, nec relicuum videtur, quod in ipsis verbis reprehendas. Quid multa, optime Anthoni? age ipsum Vergilium sinamus causam suam suscipere. Sic ille de Metabo, cum Volscos fugeret filiolam Camillam in sinu prae se portans fugamque Amaseno fluvio praepediri videns, 11, 549—551: „Ille innare parans infantis amore Tardatur caroque oneri timet. Omnia secum Versanti subito vix haec sententia sedit". Nempe

non illud Metabus dubitabat, in quo erat summa rei, servaretne filiam necne, sed hoc, quo id modo quaque ratione effici posset. Sic Aeneas h. l. non, quid omnino agat, dubitat, sed quomodo captum iam consilium optime peragat.

Aen. 4, 464 sq. *Multaque praeterea vatum praedicta* piorum
Terribili monitu horrificant.

priorum recepit Ladewigius; *piorum*, Medicei lectionem, tuetur Hauptius, utique recte. Qui utitur auribus lectione Vergilii imbutis, statim sentiet intolerabile esse illud ter sine vi aut certa ratione repetitum in verborum principiis *pr*: *pr*aeterea *pr*aedicta *pr*iorum, caninum quid, non Vergilianum, sonans. Et quorsum *priorum?* Certe non illo ipso tempore, quo ea, quae facta hic narrat poeta, evenerunt, accipere potuit Dido vaticinia; noctu meminit Dido vatum praedicta; hoc tempore iis, qui eiusmodi angoribus vexantur, omnia ad augendos illos facientia, recentia, vetera, veniunt in animum, ergo etiam praedicta vatum quocumque tempore audita. Et multum falluntur meo iudicio, qui p i o s, i. e. deorum reverentes eosque caste adeuntes, inepte h. l. dictos existimant; nam qui pii sunt vates, iidem sunt veraces, non mendaces, atque hanc ob causam fide observantiaque digni; quae res plus etiam valet ad exagitandum animum Didonis.

Aen. 4, 490. *Nocturnosque* movet *Manis.*

ciet Ladewigius; Hauptius *movet*, ut ego; ita Mediceus, quem pro instituti mei ratione sequor.

A. 4, 528. 522. *Nox erat, et placidum carpebant fessa soporem*
Corpora per terras, silvaeque et saeva quierant
Aequora, cum medio volvuntur sidera lapsu,
Cum tacet omnis ager, pecudes pictaeque volucres,
Quaeque lacus late liquidos quaeque aspera dumis
Rura tenent, somno positae sub nocte silenti.
528. [Lenibant curas et corda oblita laborum.]

Versum 528 Ladewigius liberat signis *νοθείας,* quae ego et Hauptius apposuimus. Et possum paucis defungi: Mediceus caret hoc versu. Sed quoniam ceteros, qui de eo nuper sententiam dixerunt, criticos nolle video hoc scilicet praeclarum additamentum sibi eripi, utque servari possit, plenius interpungere post *ager* medio versu 525, concedes, opinor, optime A n t h o n i, sic, quae maxime coniuncta sunt, pessime dirimi. Quod dicere et volebat poeta et debebat, hoc est: noctem esse et omnia animalia

quieti se dedisse „*Nox erat* . . *Aequora*"; hanc sententiam deinde explanat dilatatque, primum dicens, quod tum maxime tempus noctis fuerit „*cum m. v. s. lapsu*", deinde exornat illa, quae vs. 523 sq. posuit *terras* et *aequora;* itaque agros commemorat quaeque ibi sunt, greges *(pecudes)* et volucres, quarum aliae sunt terrestres, aliae (id quod spectat ad a e q u o r a) aquaticae, maritimae. Exposita ita huius sermonis compage apparet coniunctissima inter se esse haec „*Cum tacet omnis ager, pecudes*" *cet.*, nec ullo modo dirimenda. Accedit, quod ista *Cum tacet omnis ager* ieiuniora sunt, quam quae omnis illustrationis expertia Vergilianum stilum referant. Quae cum ita sint, versum 528 iure expelli intelligitur. — Ceterum libens arripio hanc opportunitatem ad tollendum errorem, quem admisi in Varr. Lectt.; c u r a s enim bestiis attribuit Vergil. 9, 225, quod ab eo fieri negaveram.

Aen. 4, 541. *Quis me autem, fac velle, sinet, ratibusve superbis*
Invisam *accipiet?*

Inrisam Ladewigius cum Paldamo, *Invisam* Hauptius, ut ego et multo ante Heinsius et Heynius. In eadem oratione Didonis vs. 534 haec leguntur: „rursusne procos i n r i s a priores Experiar". Putasne, V i r e l e g a n t i s s i m e, tam brevi intervallo bis Didonem inrisam se appellasse? Et ut vs. 534 rectissime Dido dicitur in derisionem incurrere, si eorum, quos spreverat praelato Aenea, iam ultro appetat coniugium, ita vs. 541 *inrisam* offenderet hominem quemvis paulo humaniorem, quod vel maxime indignum futurum erat, si Troiani omni ope a Didone adiuti, nunc eam irriderent; nec Dido ita existimare poterat; generosiore erat animo, quam ut posset. At s u p e r b o s ipsa appellavit *(ratibusve superbis inrisam accipiet)* Troianos; superborum autem est irridere. Verum hoc, sed illa superbos vocat, quia, qui modo omnium rerum egeni (1, 599) venerant, nunc coniunctionem ab ipsa in rebus florentissimis constituta oblatam spreverunt; i n v i s u s autem nobis esse coepit, cui provocati beneficiis male fecimus.

Aen. 4, 593. Deripient*que rates alii navalibus?*

Diripient scripsit Ladewigius consentientibus omnibus libris mss. (quorum in ea re fides nimis fallax est) item iubente Jahnio, Hauptio dissentiente. Nempe cum *deducere naves* vulgo dicant Romani, *deripere*, i. e. raptim deducere, dicere h. l. maluit Vergilius ad significandam festinationem; at *diripere* numquam celeritatem indicat. Et si hoc loco verum esset *diripient rates navalibus*,

cur Iahnius simillimo loco Georg. 2, 242 retinuit „Colaque praelorum fumosis deripe tectis"? Quod autem ait idem praepositionem *de* non solum significare ἀπό in compositis, sed adsignificare etiam τὸ ἄλλοσε, non est ea vis praepositionis, sed verbi cum certo obiecto coniuncti, ut, cum dico *naves detrahere*, navium mentio facit, ut eas in mare trahi intelligamus; itaque supra 1, 211 verba „tergora costis deripiunt" non significant „alio rapiunt", ut vult Iahnius, sed „raptim detrahunt"; nemo autem eo loco dixerit „distrahunt"; et *deripiunt* hic quoque Hauptius, quamquam idem, praeterea nusquam adsentiens praecepto Iahniano, nescio qua causa retinuit Aen. 3, 267 *litore funem diripiunt.* Ac velim scire, si qui dolor detrahitur, quo is trahatur? aut cum detrahimus soleas cuipiam, quis adsignificari statuat alio eas trahi? Itaque Georg. 2, 8 restituo cum Hauptio *dereptis cothurnis*, ubi *direptis* in minore editione scripsi; et in eadem causa aliquoties obtemperasse Iahnio nunc me paenitet. Aen. 10, 475 cum Turnus „vagina deripit ensem", (ubi *diripit* scribit Jahnius) non tam alio rapit, quam raptim educit, quo fit, ut inanis relinquatur vagina. Ponitur *de* in eiusmodi verbis ita, ut rem aliquam aut numquam repositum iri significemus, aut de ea reponenda non cogitari in praesentia; itaque decedit de provincia, non qui hoc potissimum agat, ut alio se conferat, sed qui aut numquam rediturus est, aut in discessu certe non cogitat de reditu. Denique nullo modo credibile est Romanos cum verbo *diripere* tertium sextumve casum iunxisse. Ex verbis cum *di- dis-* compositis dativum regunt, quorum simplicia regunt eum casum, ut *displicere, dissuadere, didere, dilargiri, distribuere,* quo accedunt, quae similis sunt significationis, *dispertire, dividere, dinumerare, dispensare,* praeterea quae dissensum indicant, ut *discrepare, discordare, dissentire, dissidere,* adde *differre* et adiectivum *diversus* [12]); ablativum adsciscunt, quae distantiam, disiunctionem, distinctionem denotant, ut *distare, dissidere, divellere, distinguere.* Nullus inter haec omnia locus relinquitur verbo *diripere*, nec potest relicuus esse, quia ne verbo simplici quidem *rapere* ea subest vis, ut dativum sibi adiungere possit; nam sicubi forte is casus cum eo copulatur, est is dativus qui dicitur incommodi. At dixerit quispiam: „Quid cavillaris, qui *diripi* neges cum sexto casu iungi, *divelli* aias?"

12) de quattuor his ultimo loco positis v. Madvig. ad Cic. de Fin. 5, 15, 41.

Nempe in divulsione spectatur disiunctio, non item in direptione; diripere enim est rapere in diversas partes, in qua re nihil refert, utrum, quae ita rapiuntur, coniuncta an non coniuncta cogites.

Aen. 4, 651. *dum fata deusque* sinebat.
sinebant Ladewigius, ego et Hauptius *sinebat*, vel propterea, quod ea est Medicei lectio, quam defensum ivi Quaest. Vergil. VIII, 3, a.

Aen. 5, 167. *Cum clamore Gyas revocabat; et ecce Cloanthum*
Respicit instantem tergo.
revocabat; ecce Cl. Ladewigius scripsit auctore Fleckeisenio meo, item vs. 450 *inlisit ossa cerebro*, ut quidam philologi XVI saeculi; et ita cod. Romanus utroque loco solus ex iis, de quibus constat, libris mss., minime locuples in eiusmodi re testis. Dixit Lachmannus ad Lucret. pag. 209 me Aen. 9, 418 intulisse creticum in versum heroicum; quo iure, ostensum iam est ad 2, 497; at nos, Anthoni, summo iure dicemus Fleckeisenium et Ladewigium trochaeum pro spondeo invexisse. Et eo quidem loco, de quo nunc agimus, retinendum esse „*et ecce Cl.*" docent ipsi numeri, quos deleta copula invenustissimos esse declaravimus supra ad 2, 497, ubi hoc genus caesurae, quae est post quartum pedem, ab elegantia versus Vergiliani abhorrere diximus; ex contrario illud *et ecce* et ad sententiam et ad rhythmicam rationem accommodatissimum esse, Anthoni, mecum sentis vel non admonitus; nec Hauptius his versibus affricuit istam, si diis placet, nobilem aeruginem.

Aen. 5, 520. *telum* contendit *in auras.*
contorsit Ladewigius et Hauptius. Equidem etiamnunc censeo *contendit* retinendum esse, quae est prior lectio Medicei, et priores lectiones eius codicis pro verioribus habendas esse significavi praefat. edit. mai. pag. X. Negaveram autem in Varr. Lectt. *contorquere sagittas* recte dici; Curtium hoc verbo ita usum esse, ut ait Ladewigius, verum iudico; scripsit is 8, 14, 36 „Porus telum, quod unum forte non effluxerat, contorsit in eum:" idem Porus pugna vulneribusque confectus, ut paulo ante (§. 32) traditur, „manibus magis elapsa, quam excussa tela mittebat," idemque verbum *excuti* de sagitta dicitur 8, 13, 6.

Aen. 5, 631. Quis *prohibet muros iacere.*
Quid Ladewigius, Iahnium secutus; idem probat Hauptius. Utrumque legi posse apertum est, sed *Quis* huic loco magis convenire

ostendi in Varr. Lectt. Itaque malo vestigiis Medicei inhaerens retinere *Quis*.

Aen. 5, 734. *Non me impia namque*
Tartara habent tristesve *umbrae*.

tristesque Ladewigius cum Jahnio; Hauptius *tristesve*, uti me edidisse nondum paenitet.

Aen. 5, 768. *Ipsae iam matres, ipsi, quibus aspera quondam*
Visa maris facies et non tolerabile numen.

nomen Ladewigius cum Iahnio, item Hauptius. *numen* commendatur auctoritate codicum, *nomen* est a pr. manu in Mediceo, correctum ab altera *numen;* praeterea e nullo libro enotatum reperio *nomen*. Negant mari tribui numen. Atqui inter deos numerat Mare Hygin. fab. praefat.: „Ex Aethere et Die Terra, Caelum, Mare," et paulo post „Ex Ponto et Mari Oceanitides:" cf. etiam Lucian. Dial. mar. 11. Uno vocabulo Maris complectitur numina marina Vergilius 12, 197. At nefarie facere ait Ladewigius, qui numen dicant intolerabile; num igitur nefarius, ut taceam alios, Tibullus, qui crudeles deos, *ὠμοὺς δαίμονας*, appellat 1, 4, 35 „Crudeles divi, serpens novus exuit annos: Formae non ullam fata dedere moram"; item ipse Vergil. Ecl. 5, 23. Quod autem proprie dici poterat in re, cui deus aliqui praeest, cur non licebit ad ipsum referre? Ac si quod numen adeo saevum est, ut eius vim, si possis, quoquo modo vitare malis, quidni dices intolerabile? Hoc acciderat iis quondam, qui experti maris violentiam horrebant denuo se ei committere. Denique, si cui nondum omnis exempta sit dubitatio, quid vetat numen intolerabile h. l. esse *ἀνυπόστατον*, in quo ne umbra quidem ulla est contumeliae? Praeterea qui *nomen* tuentur, videant velim, num hoc recte dicatur „quibus quondam visum est maris nomen intolerabile"? verbum *videri* refertur ad iudicium; atque in facie quidem maris invenias, unde coniecturam de ipso facere possis, non item in nomine; nomen maris intolerabile esse, non videri, potest.

Aen. 5, 821. *Subsidunt undae, tumidumque sub axe tonanti*
Sternitur aequor aquis, fugiunt vasto aethere *nimbi*.

ita scripsit Ladewigius, Iahnium secutus, nec aliter Hauptius; ego *fugiuntque ex aeth.*, quod in solo Mediceo exstat. Possum nunc paucis hic defungi: nusquam in toto Vergilio talis, qualis haec est, ante quintum pedem elisio deprehenditur, quippe nimis inelegans. Iam examina mecum, optime Anthoni, hanc orationem:

sedata a Neptuno omnia narrantur verbis *subsidunt* — *aquis*, cui rei praeclare respondet mollis versus exitus *fugiuntque ex aethere nimbi*, non item sententia ἀσύνδετος cum epitheto supervacaneo *vasto* et durissima elisione.

Aen. 5, 836. *placida* laxarant *membra quiete*. *laxabant* Iahnius, Ladewigius, Hauptius; et ita ederem ipse, si de lectione Medicei satis constaret; interim intactum relinquo, quod semel edidi vel potius quod non mutavi.

Aen. 6, 442. *quos durus amor crudeli tabe* peredit. *peremit* Ladewigius et Hauptius; *peredit*, quae est altera lectio Medicei, ita proprie in ea re dicitur, ut Te, Anthoni, vix Tibi persuasurum existimem id potius alii, librario an grammatico, in mentem venisse, quam ipsi Vergilio proprietatis verborum studiosissimo; ipse, praeter versum in Varr. Lectt. laudatum, 12, 801 „Nec te tantus edat tacitam dolor". Hom. Il. 6, 202 ὃν θυμὸν κατέδων", quod Cic. Tusc. 3, 26 interpretatur „Ipse suum cor edens". Quare non possum facere, ut verbum cum cura delectum cum trito illo et vulgari *peremit* commutem.

Aen. 6, 648. *his Laodamia*
It comes, et iuvenis quondam, nunc femina, Caeneus.

Caenis Ladewigius, Peerlkampii et Dietschii iudicium secutus, qui ita disputant, ut dicant comitem his ire Caenidem, non Caeneum. Quid hac disputatione verius esse potest, aut quis omnino hoc non persenserit? At omnes libri tuentur *Caeneus*, idque retinuit etiam Hauptius. Nempe nihil periculi est servata codicum lectione, ne mulieres illae comitem marem habeant. Vides, Vir praestantissime, hanc esse poetae mentem: comes it, qui iuvenis quondam fuit Caeneus, nunc femina est. Quid, quod vix crediderim Vergilio licuisse scribere *Caenis*; nam cum iuvenis non solum mas, sed etiam femina dici possit, castitas orationis videtur postulare, ut *Caeneus* scribatur; contra vocabulum feminae non requirit adiectum nomen Caenidis. Adde, quod, cum prius viri mentio fiat, consentaneum est suum huic nomen adiici, non feminae, quae post commemoratur. Age iam interpretemur haec nostro sermone; quod nos edidimus, sic dixeris Germanice: „*sie begleitet der vormalige jüngling Caeneus*, *jetzt weib*," sive: *sie begleitet der vormalige jüngling*, *jetzt weib*, *Caeneus*. illud sic: „*sie begleitet der vormalige jüngling*, *jetzt das weib Caenis*". Non dubito, utrum praelaturus sis.

Aen. 6, 495. 494. *Atque hic Priamiden laniatum corpore toto*
Deiphobum vidit, *lacerum crudeliter ora,*
Ora manusque ambas, populataque tempora raptis
Auribus, et truncas inhonesto volnere naris.

Sic omnes, quod sciam, editores, et qui ante me et qui post fuerunt. Ego ex Mediceo aliisque libris revocavi *videt et* vs. 495. Nolo repetere, quae dixi in Varr. Lectt. Tu, amicissime Anthoni, vide sis mecum, sitne hoc satis probe dictum *laniatum corpore toto*, *lacerum ora* cet. Primo poeta laniatum toto corpore scribit; et *laniare* quidem est alte adacto vel cultro vel gladio ita secare, ut distent inter se dissectae partes et hient, quod genus vulnerum nos appellamus *klaffende wunden*, Graece fortasse dixeris *κεχηνότα τραύματα;* contra *lacerare* significat articulatim discindere, truncare et mutilare, *ἀκρωτηριάζειν.* Apertum est igitur horum verborum discrimen; et laniatus quidem ille dicitur corpore toto, lacer tantum ora, manus, aures, nasum. Cum autem haec inter se differant, non est illud *lacerum ora* etc. epexegesis praegressorum verborum, *laniatum corpore toto*, sed hoc dicit poeta, ad laniationem accessisse etiam lacerationem; quae res, nisi egregie fallor, ita comparata est, ut copula carere ea oratio non possit. Dixerit fortasse aliquis Livium verba *lacerare* et *laniare* pro synonymis habuisse 22, 51 „Praecipue convertit omnes substratus Numida mortuo superincubanti vivus, naso auribusque laceratis, cum, manibus ad capiendum inutilibus, in rabiem ira versus laniando dentibus hostem exspirasset"; at Livius ipse interpositis verbis *manibus ad capiendum telum inutilibus* cavit, ne ita liceat statuere. Nempe non habebat iste homo, quo hostem laniaret, telum; dentibus igitur usus est pro telo ad illum, quantum fieri potuit, laniandum. Similiter ferae bestiae, quae ceperunt animalia, laniant, quod fit unguibus rostrisve; et laniando interficimus, non lacerando..

Aen. 6, 505. *tumulum Rhoeteo* in *litore inanem.*

Subtiliter disputat Lachmannus ad Lucret. 3, 374 de hoc genere elisionis; et omittit praepositionem fragm. Vatic.; sed cum Mediceum potissimum sequi statuerim, nolui h. l. ab eo desciscere. Accedit, quod Vergilius amat praepositiones monosyllabas cum elisione in ea sede ponere. Ceterum vid. quae scripsi ad 3, 76.

Aen. 6, 558. *Constitit Aeneas* strepituque *exterritus* haesit.
Sic ego et Hauptius edidimus ex fide Medicei; Ladewigius rediit

ad alteram lectionem *strepitumque hausit.* Utraque lectio, si sententiam spectas, bona; sed ex instituto nostro tuebimur, quod praebet Mediceus. Negat Ladewigius ferri posse *τὸ ὕστερον πρότερον,* quod sit in verbis *Constitit . . haesit.* At ne est quidem ullum hic *ὕστερον πρότερον.* Primum enim Aeneas cohibuit gradum, sive constitit, et postquam id fecit, aliquantisper substitit eodem loco, sive haesit; et additur causa, quare substiterit: strepitu exterritus; quae causa quia potissimum explicat, cur haeserit, propterea huic verbo adiuncta est, non superiori. Ex quo simul intelligitur ne illud quidem recte disputari a Ladewigio, cum dicit subsistendi („*des stehenbleibens*" enim scribit) notionem bis exprimi.

Aen. 6, 586.

585. *Vidi et crudelis dantem Salmonea poenas,*
Dum flammas Iovis et sonitus imitatur Olympi.
Quattuor hic invectus equis et lampada quassans
Per Graium populos mediaeque per Elidis urbem
Ibat ovans divomque sibi poscebat honorem,
Demens, qui nimbos et non imitabile fulmen
Aere et cornipedum pulsu simularet equorum.

Versum 586 Ladewigius sede sua motum esse suspicatur olim inter 588 et 589 positum. Sed non alienum esse ab ea, quam in libris tenet, ostendit explicatio a me prolata. Tum, si eo loco, quo malit Ladewigius, positus esset, variata tantum oratione, bis idem in eadem verborum comprehensione poeta diceret: flammas Iovis et sonitus Olympi simulabat demens et imitabatur nimbos et fulmen.

Aen. 6, 734.

Hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque, neque auras
Dispiciunt *clausae tenebris et carcere caeco.*

Respiciunt Ladewigius itemque Hauptius. Ego teneo, quod secundum testimonia ac vestigia optimorum codicum editum est; *dispiciunt* etiam Servius Dresdanus, optimarum saepe partium fautor. Nec video, quare hoc alienum ab ipsius poetae sententia existimetur: immo optime sic omnia inter se congruere videntur; nam quia mente occaecati sunt (*neque auras dispiciunt*) id ipsum facit, ut metuant, cupiant, qui sunt caeci motus animorum. Commendatur *dispiciunt* verbis adiectis „*clausi tenebris et carcere caeco*" causam indicantibus, quare dispicere non possint; et antequam

respicere possint, necesse est possint dispicere; qui respicit, non fuit antea caecus, at qui caecus fuit, eius est primum dispicere. Ferrem illud *respiciunt*, si ii, de quibus agitur, iam ante lucem vidissent, nunc lucis nullam curam haberent. „At hoc ipsum, inquiunt, dicit poeta, id quod intelligitur e vs. 730: Igneus est ollis vigor et caelestis origo." Immo ignea illa particula mentis divinae, unde orta est mens humana, tum demum in quoque homine agitare se coepit, cum iam inclusa est in corpore humano, quo fit, ut statim ab origine homo caecutire et demens esse incipiat, lucem numquam videat, falsa pro veris amplectatur atque originis suae numquam sibi conscius sit, ergo ne respicere quidem lucem possit. Atque hoc est, quod Schillerus nostras et praesentium memor et futurorum providus ait:

Weh denen, die dem ewig blinden
Des lichtes himmelfackel leihn!
Sie strahlt ihm nicht, sie kann nur zünden,
Und äschert städt' und länder ein.

Denique vide, Anthoni, num etiam ad pecudes, quae vs. 728 cum hominibus iunguntur, satis commode referri possit illud *respiciunt.*

Aen. 6, 820. *Consulis imperium hic* primus *saevasque securis Accipiet.*

primum Ladewigius cum Paldamo. Nescias, utrum pro auctoritate Medicei h. l. pugnes, an contra. Nam Heinsius cum e tribus codd., qui non sunt ex praestantissimis, *primum* enotaverit, tacet de Mediceo, unde colligas *primus* ab eo inventum esse in Mediceo; at Fogginius habet *primum. Primus* ex consuetudine in tali re ponunt Latini, quamquam, ut dixi in Varr. Lectt., etiam *primum* defendi potest. Hauptius retinuit *primus;* nec ego id aspernari suaserim, priusquam, uter, Heinsius an Fogginius, verum viderit, a Ribbeckio didicerimus.

Aen. 7, 444. *Cura tibi, divom effigies et templa tueri;*
Bella viri pacemque gerant, *quis bella gerenda.*

gerent Ladewigius et Hauptius. Retineo lectionem Medicei *gerant,* primum ex instituti mei ratione. Hoc dicit poeta: „Tua cura est templa tueri; relinquenda cura bellorum viris (*bella gerant*), quorum est officium bella gerere, i. e. quis bella gerenda. Sic etiam liquet minime otiosum esse, quod visum est Heynio, hoc hemistichium. Praeterea, uti iam in Varr. Lectt. diximus, illud

ipsum *gerant* ostendit plane securum animum Turni, de bello non cogitantis; *bella gerent* is dicit, qui providet bellum futurum. Quare si quis propter Homericum illud (Il. 6, 492) „πόλεμος δ' ἄνδρεσσι μελήσει" *gerent* probabit, is velim reputet diversam condicionem Allectus et Andromachae, Hectoris et Turni.

Aen. 7, 458. Olli *somnum ingens rumpit pavor.*
Illi Ladewigius; ego *Olli* servo cum Hauptio. *Olli*, quod cum Mediceo Heinsiani codd. ad unum omnes tueri videntur, apte convenit cum ingenio huius orationis, de qua re dixi Quaest. Verg. XXI, 9.

Aen. 7, 481. *quae prima* laborum
Caussa fuit.
malorum Ladewigius, quod vix dubites quin interpretamentum sit prioris lectionis Medicei *laborum;* servavit hoc etiam Hauptius.

Aen. 7, 722. Gratum est mihi, quod a Ladewigio admonitus sum erroris a me h. l. admissi; quod enim in utraque minore editione editum est *tremit excita* (ex 12, 445 a librariis huc illatum), aliud agens mutare oblitus sum in editione Halensi, quam manu mea correctam typothetae exprimendam tradidi.

Aen. 7, 759. *nemus* Anguitiae.
Angitiae R. H. Klausen (*Aeneas* Vol. 2. p. 1039 sqq.), Ladewigius et Hauptius. Ego retineo *Anguitiae*, quo ducit, quod est in Mediceo, *Anguetiae* Sane in lapidibus *Angitia* exstare traditur, cf. Orell. Inscr. 115. 116. 1846., sed suspecta est Orellio fides horum titulorum; at confirmatur ea huius nominis forma titulis certissimae, ut videtur, fidei apud Mommsen. Inscriptt. Neap. no. 5592 et 7255. Verum *Agnitia* est apud Silium 8, 500 in editione principe, quam ipse inspexi, et apud Vibium Sequ. (*Nemora*) legimus „(nemus) Angitiae vel Anguitiae" in edit. Oberlin., et in antiquissima, quam nactus sum, editione a. 1512 „Angitiae vel Angrutiae". Duplex igitur nominis eius forma exstitit auctore Vibio, qui cum e Vergilio plurimum pendeat, verisimile est eum cum vulgari forma iunxisse eam, quam apud hunc poetam vel omnino apud poetas invenisset. Praeterea mihi non valde probabile est ab angendo, uti vult Servius, dictam esse hanc nympham; patet hoc verbum latius, quam ut, si illud commentum Servii non exstaret, facile quisquam in eam opinionem delaberetur, ab anguibus angendis id nomen profectum esse. At siquis Anguitiam appellari audiverit, statim intelliget vim eius

numinis ad angues aliquo modo pertinere, quae qualis fuerit, cum doceant Vergil. vs. 753—55 et Sil. 8, 497—501, neuter quidquam commemorat de **a n g e n d i s** serpentibus. Iam comparet mihi aliquis Germanica nomina *die würgerin* et *die schlangengöttin*, (*Ἐχιδναίαν* commode vocat Salmasius) nonne in significando numine eius deae hoc illi longe praetulerit?

Aen. 8, 223. 222 *Tum primum nostri Cacum videre timentem*
Turbatumque oculis.

oculi Ladewigius et Hauptius. Ego, quod et optimorum et plurimorum codicum testimoniis defenditur, *oculis* non possum a me impetrare ut deseram. Illud *turbatum* sic nudum positum, parum differt a praegresso *timentem;* quare velis tale quid, quale *oculis,* adiectum, quo facto tamquam pingitur timor Caci.

Aen. 8, 357. *Haec duo praeterea disiectis oppida muris* (*vides.*)
Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit arcem.

arcem prior lectio Medicei, et ita ceteri potiores libri; hanc retinui, ut in similibus causis faciendum mihi decrevi; *urbem* ediderunt Ladewigius et Hauptius. Mihi quidem etiam propterea *arcem* retinendum videtur, quod, quae modo **o p p i d a** dicta sunt, parum recte nunc **u r b e s** appellantur, quodque, quae condiderunt Ianus et Saturnus, vere oppida, non urbes fuerunt. Nemo autem facile sic mihi occurret, ut Saturno, quo regnante nulla bella fuisse constat, quidquam causae fecisse neget, cur **a r c e m** conderet; nam ut taceam propriam oppidi significationem, verba *disiectis muris* apertum est ad locum moenibus cinctum spectare.

Aen. 8, 610. *Ut procul* et gelido *secretum flumine vidit.*

Ladewigius *egelido* revocavit, retinuit *et gelido* Hauptius. Ad ea, quae scripsi in Varr. Lectt. nihil habeo, quod addam, nisi hoc:

t

quod fr. Vaticano ab Heynio tribuitur *egelido,* esse lectionem Medicei, ex quo nunc constat miro casu in Vaticanum translatam esse paginam vss. 585 642 continentem. Ceterum litera *t* superimposita in eo codice eiusdemne sit manus, quae ipsum codicem exaravit, an alienae, adhuc ignoratur.

Aen. 8, 680.

678. *Hinc Augustus agens Italos in proelia Caesar . . .*
80. Stans *celsa in puppi;* . . . . . .
82. *Parte alia ventis et dis Agrippa secundis*
83. *Arduus agmen agens.*

Stat Ladewigius; *Stans* servat Hauptius, satis illud, puto, defensum a me in Varr. Lectt. Et respondent haec sibi invicem: primum „Hinc Augustus agens Italos . . . Parte alia Agrippa agens agmen", tum „Stans . . . Arduus".

Aen. 8, 694. telisque *volatile ferrum Spargitur.* *telique* ex Romano Iahnius, Ladewigius, Hauptius. Sed cum ceteri codices cum Mediceo *telisque* tueantur nec appareat, quomodo cuiquam in mentem venire potuerit facilem lectionem convertere in difficilem, hanc, si qua fieri poterit, retinendam iudicabimus. Quaerendum igitur de interpretatione. Heynius „*telis*, ait, accipiendum est de machinis ad missilia emittenda". Nihil, opinor, profuerit ad stabiliendam hanc opinionem laudare, quae scripsit auctor Belli Afric. c. 31 „scorpionum, catapultarum ceterorumque telorum, quae ad defendendum solent parari, magnam copiam habebat." Memini tamen mentionem fieri, nescio nunc ubi, de catapultis ballistisque etiam in naves impositis; sed cum, qui de Actiaca pugna, quam poeta h. l. attingit, rettulerunt, nihil, quod eo pertineat, prodiderint, nolim credere de his eum cogitasse. Itaque telis ferrum spargi eum in modum dici posse arbitror, quem proposui in Varr. Lectt. et in minore editione, quemque velim Tibi, Vir doctissime, non displicere. At displicuit Iahnio, qui ita effici ineptam sententiam iudicat; nimirum tali iactu non solum ferrum, sed totum telum emitti. Audirem, si nescirem teli vocabulo varia genera, maxime missilium, etiam nullum ferrum habentia appellari; ut 7, 508 „Inprovisi adsunt, hic torre armatus obusto, Stipitis hic gravidi nodis; quod cuique repertum Rimanti, telum ira facit"; similiter telum, quo terebratus oculus Polyphemi 3, 635, non fuit ferro praefixum; tela sunt caestus 5, 438; adde 2, 447 „Dardanidae contra turris ac tecta domorum Culmina convellunt; his se, quando ultima cernunt, Extrema iam in morte parant defendere telis"; vid. Serv. ad 8, 249 et 9, 509. Sed quorsum haec? ais; quis est enim inter doctos, qui id nesciat? Scilicet id agebam, ut etiam Vergilium ab eo usu non abhorruisse ostenderem; eoque fieri potuit, ut diceret *telis spargitur ferrum* tela intelligens sola hastilia. Quis denique hoc non ferat, si quis nostro sermone dicat „die geschosse verstreuen ihr eisen nach allen seiten".

Aen. 9, 11. *Lydorumque manum* collectos *armat agrestis.* *collectosque* Iahnius, Ladewigius, Hauptius. In paucis libris est

que, ab optimis ignoratur. En, quanta iudiciorum diversitas! Heinsio, cui in eiusmodi causa multum tribuo, epexegesis h. l. mirifice placet; Iahnius contra omissa copula effici ait, ut poeta ipse vim sententiae imminuat „Aeneas Lydorum manum, hoc est collectos agrestes, armat"; itaque copulam necessario poetae reddendam esse. Atqui ita homines acuti suo se ipsi acumine configunt. Non vidit Iahnius id ipsum interesse inter poeticum et pedestrem sermonem, ut illud *hoc est* in hoc toleretur vel etiam requiratur, ab illo respuatur. Ac si quid restet, quod Te offendat, Anthoni, id spero scita pronuntiatione tolli posse, non inhibita post *manum* voce. Copulam qui addit, nescio an ambiguitatis aliquid inferat incertumque relinquat, sintne illi, qui agrestes dicuntur, Lydi, an alii. Nempe quod prosarius scriptor dixerit „Lydorum manum ex agresti pube collectam," id in eum modum inflexit poeta, quem hoc versu deprehendimus. „At, dixerit aliquis, omnesne sunt Lydi agrestes?" Scilicet robur exercitus significatur, quod apud Tyrrhenos, ut apud Romanos, ex agresti iuventute constabat.

Aen. 9, 66. duris *dolor ossibus ardet.*

durus, quod e Gudiano enotatur, commendatum a Ribbeckio, revocatur a Ladewigio et Hauptio. Equidem non puto deserendam esse ceterorum librorum auctoritatem. Facilis sane sententia, si *durus* scripserit Vergilius, sed *duris* minime reiectaneum. Si 8, 390 calor ex molli affectu natus Vulcano „liquefacta per ossa cucurrit", quid mirabimur, si in contraria causa ossa durantur?

Aen. 9, 140 sq. *Sed periisse semel satis est; peccare fuisset*
Ante satis penitus modo non *genus omne* perosos.

Si periisse edidit Ladewigius, *Sed* retinuit Hauptius; neque ego quidquam causae video, quare optimorum librorum fidem negligamus. — Idem Ladewigius ex uno codice Veneto recepit *nunc genus*, probatum etiam Marklando, Handio, Dietschio et nuper ipsi Hauptio. *modo nunc* ex linguae Latinae consuetudine, quantum ea nobis cognita est, significat: si non alio, at hoc tempore, *nur jetzt*, *nur diess mal*, quod alienum esse a sententia Vergilii existimo; neque enim refert, nunc an alio quo tempore odisse debuerint genus femineum, sed omnino odisse debebant. Nam quod Handius haec componit cum versu Tibulliano 1, 1, 25 „Iam modo nunc possum contentus vivere parvo," eo nihil probari mihi videtur, quandoquidem ante probandum fuit ipsum illud *iam*

modo nunc Latinum esse; nam etsi tolerabilem sensum ex his effecit Handius, magna tamen restat dubitatio, quia quemquam praeterea sic locutum esse nec constat nec per se probabile est. Vergilianorum verborum explicationem hanc proponit Handius (Tursell. Vol. 3. pag. 645) „eos, qui nunc demum totum genus feminarum perosi esse debeant"; Marklandus „modo nunc penitus perosi sint omne genus femineum"; melius Dietschius (Theolog. Vergil. p. 34. not. 257) „satis fuit ante pecasse, si modo nunc omne genus femineum perosi essent". Non nego impeditam esse horum verborum constructionem, sive *non*, sive *nunc* legeris. Apparet enim duo diversa tempora hic coniungi, quae talem constructionem respuant. Mens poetae haec est: „peccare satis fuisset ante, i. e. cum rapuerunt Helenam; sed ex quo is raptus Troianis coepit perniciosus esse, debebant odisse feminas". At hoc versu haec duo tempore diversa, causa et effectus, — raptus Helenae et inde consecutum odium sexus muliebris — ita iuncta sunt, tamquam ea unius sint eiusdemque temporis. Quod dixit poeta *fuisset ante satis*, in eo latet illud, quod recte inde elicit cum Heynio Dietschius, quodque supra posui, *debebant*. Ergo debebant Troiani non iterum peccare, et debebant, postquam semel cum magno suo malo peccarunt, genus femineum odisse. Hunc in modum si dilataveris sententiam poetae, omnia plana sunt; sed eadem cum in unum enuntiatum coartata sint, non ad leges logicas exacta esse facile mihi concedes, Anthoni; verumtamen idem concedes orationem turbatam convenire turbato animo Turni; ac nosti probe Graecos (et hos quidem potissimum) Latinosque scriptores interdum non multum curare communes loquendi leges, modo sit oratio rebus conveniens. Ergo hoc manet, utramvis amplectare lectionem, in summa re nihil mutari; at si quid vitii est in ea oratione, illud mihi maxime vitiosum videtur, id vitium quasi dedita opera prodi, quod fit, ubi *nunc* scripseris, quia sic manifesta existit oppositio inter *Ante* et *nunc*. Quae cum ita sint, satius videtur in codicum lectione acquiescere. At ineptum est illud *modo non omne* sive *tantum non omne;* immo omnes feminae odio dignae videri debebant Troianis. Videamus, Anthoni, si qua poetam etiam a crimine ineptiarum liberare possimus. Facilius id, quam quis fortasse opinetur, fieri posse iudico; attendamus modo, Anthoni, ad vocabulum *genus*. Apparet hoc loco dici de iis, qui uxores velint ducere; his exem-

plo detestabili monitis conveniebat invisam esse omnem nubilem; atqui genus quidem femineum complectitur etiam matres, sorores, cognatas, affines, quas quivis paulo tolerabilior homo amare et colere consuevit. Quocirca tantum abest, ut illud *non modo omne* vim sententiae infringat, ut nihil esse possit gravius. Significat poeta non mirum futurum, si Troiani odio feminarum eo proveherentur, ut non solum puellas oderint, sed prope universum genus feminarum, matres quoque ceterasque maximis vinculis propinquitatis coniunctas. Impie autem locutus videretur Turnus, si omissis particulis *modo non* omne genus femineum, nulla omnino excepta femina, Troianis odio esse debere diceret. — Denique eodem versu cum per se et *perosis*, quod edidit Ladewigins, et *perosos*, quod servat Hauptius, stare possit, hoc, *perosos*, ut potiore auctoritate Medicei et fr. Vaticani munitum, non dimittemus.

Aen. 9, 360. *Cingula, Tiburti Remulo ditissimus olim*
Quae mittit dona, hospitio cum iungeret absens,
Caedicus; ille suo moriens dat habere nepoti;
*Post mortem bello Rutuli pugnaque potiti.

Vocavi versum 363 in νοθείας suspitionem, ac per mihi iucundum fuit, quod rationes meas ab homine admodum subtilis iudicii, Carolo Thiel, optimo doctissimoque interprete Aeneidos, comprobatas vidi. Ladewigius atque Hauptius removerunt stellulam a me appositam. Et Ladewigius quidem satis habuit scholion Servii laudare praetereaque haec adiicere: „*Post mortem* nepotis scilicet", id quod ait sponte intelligi. At qui examinare voluerit, quae scripsi eo loco in Varr. Lectt., facile, opinor, intelliget multum abesse, ut illa refutata a Ladewigio existimet. Sed tamen restat aliqua ratio nondum, quod sciam, a quoquam, nisi forte ab Hauptio, animadversa, qua hunc versum Vergilio vindicare liceat. Intolerabilis enim illa scabrities, quam deprehendi dixeram in istis „*moriens . . . Post mortem*", tolli poterit, si verba *Post mortem* non ad nepotem, sed ad Caedicum pertinere arbitrabimur. Quod si verum est, hoc dicit poeta: „Caedicus cum in eo esset ut moreretur, dedit hoc cingulum nepoti suo, sed, postquam mortuus est, venit id cingulum in potestatem Rutulorum, qui caeso in pugna nepote Caedici eo potiti sunt". Eorum in gratiam, qui hanc λύσιν probant, nunc et ipse demo stellulam.

Aen. 9, 403. 402. *Ocius adducto torquens hastile lacerto*
403. *Suspiciens altam Lunam*, et *sic voce precatur*.

Et omittunt Ladewigius et Hauptius. Sed unde id a librariis illatum? fortasse e 6, 186 „et sic forte precatur" (atque hoc *forte* ex eo loco huc in marginem ipsius Medicei immigravit) vel e 10, 784 „et superos Arruns sic voce precatur". Esto hinc invectum esse; quid inde sequitur? nempe illud, recte me aliquoties a Mediceo olim dissensisse, cum existimavi quasdam lectiones, post a Ladewigio aliisque receptas, in hunc codicem irrepsisse, dum librarius, qui eum exaravit, aliorum locorum memoria decipi se passus est. Nunc tamen consentiens auctoritas librorum mss. praetereaque Aspri, antiquioris testis, et Prisciani fides prohibent me a conatu mutandae lectionis; quamquam illud largior, esse praeterea, quod haec verba legentem male habere possit, duo participia dico nulla copula coniuncta. Quid igitur, si poeta scripserit non *torquens*, sed *torquetque?* quod vetus librarius, dum illud, quod sequitur, *suspiciens*, oculis ac mente praecepit, facile in *torquens* convertere potuit. At, inquies, sic dirimuntur illa *Suspiciens altam Lunam* ab iis, quibuscum ea iungi oportet, *sic voce precatur*, nam precatur Lunam. Verum cum utrumque, et torquere telum et Lunam precari, eiusdem temporis sit, nihil refert, cum utro ista copulentur.

Aen. 9, 486. *nec* te tua funere *mater*
Produxi pressive oculos aut volnera lavi,
Veste tegens.

„*nec te, tua funera mater Veste tegens*", sic legit interpungitque Ladewigius praetereaque, ut illud *funera* cum verbis *Veste tegens* coniungi posset, versum, qui est in ceteris editionibus 487, collocavit post versum 489, commate post *anilis* posito. Hauptius *funere*, ut ego. Mihi quidem videtur Ladewigius pro una difficultate alteram substituisse, aut probandum ei fuit *funera* de uno cadavere dici a probatis auctoribus. Sed ego nunc eo inclino, ut ipse servem lectionem a Servio librisque mss. omnibus propagatam *funera*. Cur enim, cui toties fidimus, Servio hic, in tanta rei obscuritate, fidem derogamus? „Apud maiores, ait ille, funeras dicebant eas, ad quas funus pertinet, ut sororem, matrem"; aliusque, ut videtur, grammaticus addit etiam originationem recteque a vocabulo *funus* fieri *funera*, quod est primae declinationis, probat Plauti exemplo, apud quem est *scelerus*, ductum a vocabulo *scelus*. Illustrat autem idem Servius significationem, quam tribuit huic voci, comparatione praeficae; nam praeficae, ait, sunt

planctus principes, non doloris". Ergo funeram dici putabimus sororem, matrem, aliasve cognatione coniunctas, quae sint in recenti luctu; *tua* autem ἐμφατικῶς, ut *tua funera mater* sit ea, quae filium luget, cum secundum ordinem naturae filius matrem lugere debeat.

Aen. 10, 179. *Alpheae* ab *origine Pisae*.
Alpheae origine omissa praepositione poetam scripsisse coniicit Lachmannus, idque receperunt Ladewigius et Hauptius; vide, quae disputavimus supra ad Aen. 3, 76. Equidem etiam propterea verecundor assentiri viris doctissimis, quod praeter unum versum, sed eum prorsus ad graecam rationem accommodatum G. 1, 437 *Glauco et Panopeae et Inoo Melicertae*, longa syllaba in medio dactylo non corripitur a Vergilio, nisi si ea una voce constet, ut *quĭ amant*, *tĕ*, *amice*, *nequivi*.

Aen. 10, 186.

185. *Non ego te* — — —
Transierim, Cinyra, *et paucis comitate Cupavo*,
Cuius olorinae surgunt de vertice pennae, —
Crimen amor vestrum — *formaeque insigne paternae*.

Relinquo haec praeter nomen Cinyrae, ut semel edidi, intacta, non quod Vergilium sic scripsisse persuasum mihi sit, sed quia de his conventurum umquam esse inter viros doctos despero. Certius quid fortasse statuere liceret, si quid constaret de illo Cinyro; nam recte Hauptius *Cinyre* edidit, quo ducit Macrobius 5, 15, et vide Lachmannum ad Lucret. 4, 1169. Servius *Cunare* legisse apparet: „*Cunare*, inquit, quidam duci nomen tradunt a Cunaro monte, qui in Piceno". Est hoc sine dubio illud Cunarum promontorium, quod Plinius N. H. 3, 13, 111 commemorat, ubi Silligius e melioribus libris restituit *Cunerum*, et certe vocalis *e* in media syllaba ab omnibus codd. Plinianis servatur. Sed quomodo is homo nomen inde trahere potuerit, frustra quaesieris; tamen hoc liquet a Servio non *Cinyram* appellari. Praeterea illud certum est, pro *Cinyre* non fuisse scriptum, quod Ladewigius a Vergilio relictum putat, *miser*, quod cum requirat aliquam explicationem, necesse est referri ad eam, de qua statim commemoratur, paucitatem comitum, non, ut vult Ladewigius, ad memoriam miseriae paternae; at si miserum poeta appellavit propter paucitatem comitum, manca est sententia, quia non dicitur, quae miseria causa fuerit eius paucitatis. Denique quod idem vir do-

ctus suspicatur verba *Crimen amor vestrum* esse adventicia, solum alterum hemistichium *formae insigne paternae* Vergilianum, in eo quoque fallitur. Nam cum multa constet a Vergilio relicta esse hemistichia non ad hexametri integritatem expleta, nullum est, quod posteriorem tantum partem hexametri impleat.

Aen. 10, 237. *Tela inter media atque* horrentis *Marte Latinos*. *ardentis Marte* Ladewigius et Hauptius de sententia Ribbeckii. Equidem vel propterea, quod Mediceum, ubicumque id recte fieri licet, sequendum mihi statui, retineo *horrentis*, quod est in omnibus libris excepto uno Palatino apud Ribbeckium pag. 41; tum *horrentis*, quod est difficilius ad explicandum, facilius in *ardentis*, nisi id merum est mendum, mutari potuit, quam hoc in illud. Nec puto esse, quod desperemus de explicando hoc epitheto, nec desperavit Heynius. En Tibi, Anthoni, 11, 601 sq., ubi, dum ad pugnam praecedunt equites, „late ferreus hastis Horret ager campique armis sublimibus ardent"; apparet non ipsum agrum horrere, sed armatos homines hastas crebras densasque erigentes. Ut breve faciam: horrentes Marte Latini nihil differunt ab iis, quos poeta 10, 178 „densos horrentibus armis" appellavit, i. e. *αἰχμητάς, αἰχμήεντας*, quos ita interpretatus est Vergilius.

Aen. 10, 293. *Advertit subito* proras.
proram Ladewigius et Hauptius, *proras* omnes libri, etiam Mediceus, nisi quod in hoc *proram* substituit secunda manus. Sententia utrumque patitur; nam et suae navis proram advertit Tarchon litori, et ceterarum proras adverti vult. Itaque cum Medicei testimonium adulteratum ab aliquo videatur, qui fortasse propter versum 297 „Frangere nec tali puppim statione recuso" *proram*, non *proras*, legendum existimaverit, nolim retentam a me lectionem deserere.

Aen. 10, 303. *Namque inflicta* vadis *dorso dum pendet iniquo*. *vadi dorso* Ladewigius et Hauptius, quod in nullo codice lectum, praeterquam in Palatino, commendat Ribbeckius pag. 40. Servius: „Probus *vadis dorso* pro vado dictum putat, ut in Georg. 3, 436 *dorso nemoris*"; sed id ipsum mendosum esse probat exemplum e Georgicis adiectum. Praeterea, ut taceam proclivi errore extremam literam vocabuli *vadis* omitti potuisse, vulgata lectio per se est commendabilior, quia verbis *inflicta vadis* causa redditur, quare fiat, ut pendeat dorso.

Aen. 10, 417. *Fata* caneus *silvis genitor celarat Halaesum*.

Non miror lectionem inter Serviana memoratam, etiam in paucis quibusdam libris inventam, *cavens* placuisse Peerlkampio, Dietschio pag. 36, tum Ladewigio et Hauptio, qui eam in editionibus suis redhibuerunt; et malis fortasse ipse, Vir amicissime, sic scriptum reliquisse Vergilium. Sed cum non sit h. l. summa necessitas optimos codices negligendi, vide, rectene *canens* scribi potuerit. Et *fata canens* non accipies universe dictum, ut sit i. q. fatidicus, sed quod sententia requirit (et quod ea requirit, non potest, quemadmodum existimat optimus Dietschius, ambiguum esse), dicit poeta: fata canebat filio, praedicens, si bellum temptaret, occisum iri. Et potuit id aliquoties fieri; nam qui homines sibi caros a certis periculis cavere volunt, identidem monere solent; itaque nihil est, quod haereas in participio praesentis *canens*. Sane si infantem aut puerum silvis celavit Halaesus, potuit id facere *cavens* fata filii nihil ipso monito; sed cum statim post mortem patris in vetita a patre arma prodierit, apparet virum interea factum esse, cui quidem tacite cavere parum erat; tum saltem edere seu canere fata filio pater adhuc vivus debebat.

Aen. 10, 539. *Totus conlucens veste atque insignibus* armis.
insignibus albis a Ribbeckio pag. 40 commendatum recepit Ladewigius; Hauptius servat *armis;* nec detrectaverim, re per se considerata, alba insignia; sed vide sis, Anthoni, ecquis albis vestibus conlucere recte dici possit, cum ab albo absit candor splendorque? Praeterea valde verisimile est eam non lectionem esse, sed coniecturam Probi, qui veste commemorata versus verba extrema ad eandem accommodata maluerit; favent huic opinioni verba Servii: „*armis* Asper legit . . . Probus vero *insignibus albis* dicit legendum, ut vestes albas accipiamus, quae sunt sacerdotibus congruae".

Aen. 10, 558. *Condet* humo.
humi Ladewigius; *humo*, quod ego revocaveram, servat Hauptius, nec deserendum videtur, donec ostensum fuerit *condere humi* Latinum esse.

Aen. 10, 581. *Non Diomedis equos,* nec *currum cernis Achilli.*
non currum Ladewigius edidit contra fidem Medicei omniumque codicum Heinsianorum; in Palatino ita scriptum esse Ambrogius refert, testis vanissimus; *nec* retinuit Hauptius. Ac fortius videtur esse iteratum *non*, quam sententiae ratio patitur; nam cum

consimilia haec sint *Diomedis equos . . . currum Achilli*, lenius illud *nec* convenit tali orationi.

Aen. 10, 785 et 817

transit Ladewigius et Hauptius scripserunt ex praecepto Lachmanni pro *transiit*, de quo disputavi ad Aen. 2, 497.

Aen. 11, 95. *Substitit Aeneas gemituque haec* addidit *alto*.

edidit Ladewigius et Hauptius; ego *addidit*, ut priorem lectionem Medicei, servavi, nec nunc habeo, quare reiiciam. Si quis autem rationem a me in Varr. Lectt. indicatam, probatam Donato, valere non patietur, at poterit hoc *addidit* ad cetera ab Aenea inde a vs. 59 acta referri; ergo postquam illa fecit prosecutusque est funus Pallantis, haec a d d i d i t.

Aen. 11, 140. *Fama . . . domos et moenia* replet.

complet Ladewigius revocavit, nescio, qua de causa; *replet*, quod etiam Hauptius exhibet, potiore codicum auctoritate firmatur.

Aen. 11, 151. *Et via vix tandem* voci *laxata dolore est.*

vocis edidit Ladewigius, *voci* mecum amplexus est Hauptius. Certe id quod poeta non potuit non sentire, ipsi rei multo convenientius est *voci*; prae dolore vix patefacta est via voci ad pronuntianda scilicet, quae ille loqui volebat.

Aen. 11, 168. *Quod si inmatura manebat*
Mors gnatum, caesis Volscorum milibus ante
Ducentem in Latium Teucros cecidisse iuvaret.

iuvabit Ladewigius atque etiam Hauptius. Ego ex optimis libris Mediceo, Romano, restitueram *iuvaret*, atque in Varr. Lectt. ea scripsi, quae ad probandam eam lectionem valere adhuc opinor, probata etiam C a r o l o T h i e l, quem suo iure plurimi facio. In altera lectione non reprehenderim, si quis Volscos pro Rutulis dictos accipiat, qua confusione liberari poeta ne aliis quidem locis potest; sed illa mihi videtur nimia ac nullo modo ferenda hyperbole, si Euander Pallantem admodum brevi *ἀριστείᾳ* usum caesis Volscorum m i l i b u s cecidisse sperat. Contra si diutius tractum esset bellum Pallantisque opera non praematura morte interrupta esset, potuisset maiorem stragem edere eamque, in quam verba illa melius caderent. At dixerit aliquis milia Volscorum dici exercitum Volscorum eumque caesum esse, i. e. multos ex eo cecidisse. Id si dicere voluisset poeta, certe debebat ambiguitatem vitare.

Aen. 11, 356. *pacem hanc aeterno foedere* iungas.

firmes Ladewigius et Hauptius, ego tenax instituti mei retineo *iungas*, priorem lectionem Medicei. Et *firmes* lectum paulo ante, vs. 330, suspitio est insedisse adhuc in memoria librariorum; tum exquisitius est et raro usurpatum illud *pacem iungere.*

Aen. 11, 487. Rutulum *thoraca indutus aenis*
Horrebat squamis.

rutilum e paucis, neque iis optimis, libris receperunt Ladewigius et Hauptius. Quod eos fecisse non opinor Macrobii Gelliique testimonio fretos; nam hi aut memoria falli aut vera manus eorum a librariis obliterari potuit. Nec abutar verbis Varronis de L. L. 7, 83 „a u r e i enim r u t i l i, et inde etiam mulieres valde rufae rutilae dictae," quo probem, a e n e a s cum thorax iste squamas habuerit, alienum ab ea re esse adiectivum *rutilum*; nam hunc etiam aeris colorem fuisse cum alia indicant, tum Sueton. Ner. 1 Lucio Domitio, qui primus Aenobarbus dictus, r u t i l u m a e r i q u e a d s i m i l e m capillum tribuit; praeterea vide sis, A n t h o n i, versum 490 et quae ibi in Varr. Lectt. scripsi. Neque etiam nego inusitatum videri thoracis epitheton a populi nomine tractum; nam A r g i v u m e n s e m, quem ad tuendum R u t u l u m thoraca ex Aen. 2, 393 affert Heinsius, parum ponderis in hac causa habere apertum est. Verumtamen Rutulos thoracas tum praestantissimos in Italia habitos esse significare poeta fortasse voluit, ut Attici in Graecia inprimis laudabantur; Aelian. V. H. 3, 24 *„λέγεται οὖν ὁ τοῦ Γρύλλου* (Xenophon enim pulchritudine et praestantia armorum valde delectabatur) *τὴν μὲν ἀσπίδα Ἀργολικὴν ἔχων, τὸν δὲ θώρακα Ἀττικόν, τὸ δὲ κράνος Βοιωτουργές."*

Aen. 11, 552. *telum, quod forte* gerebat.

Qua causa Ladewigius *gerebat*, quae est prior lectio Medicei, propagata per ceteros, uno ex deterioribus excepto, codices, in *ferebat* mutaverit, exputare non possum; *gerebat* etiam Hauptius. Et *ferimus* onera sive maiora sive minora, *gerimus* vel ad usum comparata vel propria.

Aen. 11, 574. *iaculo palmas* armavit *acuto.*

oneravit ex Servio adscivit Ladewigius; *armavit* (non *ornavit*, ut imprudens scripsit Ladewigius) ego codicum auctoritate motus restitueram, idque servavit Hauptius; pauci libri *oneravit* tuentur. Nempe Metabus vel venatricem vel bellatricem instituere, armare eam, non onerare, voluit.

Aen. 11, 609. *intra iactum teli progressus uterque* Constiterat.

Substiterat Ladewigius. Quae de ea re scripsi in Varr. Lectt., iis nihil habeo quod addam, nisi hoc, *Constiterat* etiam Hauptium edidisse.

Aen. 11, 671. Suffuso *revolutus equo.*

Suffosso, revocatum a Ladewigio et Hauptio, quod nescias utrum sit a prima manu in Mediceo, an sit prior lectio, (neque enim possum dicere, ab Aproniine manu id mutatum sit, an ab alia) nunc et ipse probo.

Aen. 11, 742

741. *Haec effatus equum in medios moriturus et ipse*
Concitat et Venulo adversum se turbidus infert.

offert neglecta Medicei auctoritate scripserunt Ladewigius et Hauptius. Totum locum qui attentius legerit, probabilius esse repperit *infert.* Quod Iahnius dicit *offert se* esse i. q. e r w i r f t s i c h i h m e n t g e g e n, id potius dicitur *obiicit se*, ut „O b i e c i t s e s e" Phegeus instanti Turno. O f f e r t se, qui se obvium fert v e n i e n t i, ut 2, 61 „obtulerat se venientibus", 6, 291 „strictam aciem venientibus offert," similiter de eo, qui periculo se exponit, 7, 425 „offer te periclis," i. e. obviam i et te iis expone. Contra de ultro lacessente, arma ultro inferente 10, 575 „biiugis i n f e r t se Lucagus albis In medios," 11, 467 „Cetera, qua iusso, mecum manus i n f e r a t arma": adde 10, 364. 4, 545. Quodsi Venulus diceretur prior contra Tarchontem venisse, non improbarem illud s e o f f e r t.

Aen. 11, 774. *Aureus ex* humero *sonat arcus.*

ex humeris Ladewigius et Hauptius. Equidem, cum perexigua sit h. l. fides Medicei, in quo est *ex humeris erat arcus*, Gudianum illi auctoritate proximum mihi sequendum duxi. Offendit me praeterea, si legas *humeris*, crebro repetita litera *s*, non sonum exprimens, sed sibilum.

Aen. 11, 835. Tyrrhenique *duces.*

Tyrrhenumque Ladewigius, *Tyrrhenique* ego atque Hauptius e Mediceo, quod quare mutaret Ladewigius, non satis causae fuisse mihi videtur.

Aen. 11, 854. *Ut vidit* laetantem animis *ac vana tumentem.*

fulgentem armis reduxerunt Ladewigius et Hauptius; *laetantem animis* unius est Medicei lectio; et multas lectiones ab hoc libro

solo oblatas multi receperunt. Defendi hanc lectionem in Varr. Lectt. Dixeris fortasse parum hoc convenire pavori Arruntis supra vs. 809 sqq. descripto; sed de eodem haec referuntur vs. 806 sqq. „fugit ante omnis exterritus Arruns Laetitia mixtoque metu." Qui si statim post caedem Camillae perpetratam laetatus est, quanto magis laetatum ea putabis, postquam se in tuto esse opinatur? „At necessarium est illud *fulgentem armis*, ut appareat, ex quo noscatur Opi." Num igitur etiam ex vano tumore potuit nosci?

Aen. 11, 895. *primaeque mori pro moenibus* ardent.
audent Ladewigius et Hauptius; ego ex ea, quam mihi imposui, lege retineo *ardent*, quae est prior lectio Medicei; et facilius potuit exquisitius illud *ardent* in *audent* mutari, quod vulgari usu in tali oratione tritum est, quam *audent* in *ardent*. Ac „verus amor patriae" (vs. 892) non solum audaciam iniicit, quae interdum etiam ignavorum est, sed etiam ardorem illum gignit in animis, quo qui corripitur, ne mori quidem recusat. Ceterum *ardet* cum infinitivo iungitur etiam 4, 281 „Ardet abire fuga."

Aen. 12, 201. *Tango* aras; medios *ignis et numina testor*.
Tango aras mediosque ignis, cet. lectionem a Peerlkampio commendatam receperunt Ladewigius et Hauptius. Copula *que*, si credas Ambrogio, est in Palatino, cui hodie plus auctoritatis tribuunt, quam ego tribuere possum; libri Heinsiani omnes *medios* sine copula; et castius dici videtur *testor ignes*, quam *tango ignes;* „testes flammae" sunt apud Claud. R. Pros. 2, 231. Zoilus Vergilianus „Amburit digitos, audet qui tangere flammas."

Aen. 12, 605. flavos *Lavinia crinis*
Et roseas laniata genas.
floros, quod est in Palatino, restituunt Ribbeckius, Ladewigius, Hauptius, et ante hos J. Vossius tam graviter, quam (si non omnia me fallunt) iniuste levitatem Heynii increpans, qui reiecerit *floros* ut antiquatum. Pervelim scire, quid Tibi, Vir elegantissime, de ea re videatur. Superiores editores prope omnes retinuerunt, quod praestantissimus quisque liber prodit, *flavos*, magis illi, opinor, obscuram aliquam rationem, quam explicatam secuti, sed tamen aliquam. En scholion Servianum: „Antiqua lectio *floros* habuit, id est florulentos, pulchros; et est sermo Ennianus. Probus sic adnotavit: Neotericum erat *flavos*; ergo bene *floreos*, nam sequitur *Et roseas laniata genas*. Attius *flori crines*,

lanugo florea, Pacuvius *floreos crines*." Probus fuit homo doctus, sed ob eam ipsam causam, ut videtur, antiquitatis studiosior, quam ipse Vergilius. Ex iis, quae scripsit Servius, non apparet, utrum *floros* pro antiqua lectione Probus venditaverit, an ipsius hoc inuentum sit, qui meminerit aliquoties se floros crines apud antiquissimos poetas repperisse. Plenum scholion Probi fortasse his verbis conceptum erat: „Antiqui floros crines dicebant; neotericum erat flavos; ergo bene legeris floros" etc. Nam quod Servius lectionem hanc antiquam appellat, id nescio an faciat deceptus scholio Probi. Non quaero, quare Vergilius, cum alias flavos crines dixerit, hoc loco floros dicere maluerit. At cavendum erit, ne obsoleta cultissimo poetae obtrudamus. Ac velim consideres mecum paulisper, optime Anthoni, quid antiquum sit in formis verborum apud Vergilium; invenies fere haec: *accestis*, *exstinxem*, *exstinxti*, *direxti*, *vixet*, *traxe*, *repostus*, *suppostus*, *defendier*, *admittier*, *farier*, *aurai*, *aquai*, *pictai*, *mage*, *olli*, *ollis*, *ast*, *cuium*. Ex quibus quae prima posui, omnia pertinent ad eiusmodi terminationes, quas suspitio est quotidiano sermone tritas fuisse; et servavit *dixti* Madvigius apud Cic. de Fin. 2, 3, 10; *cuium* vox fuit rustica, ne Vergilii quidem aetate, id quod docet Vergiliomastix, obliterata; *ast* Vergilio commune cum recentioribus, item infinitivus in *ier* missus; *aquai* et similia, tum *olli*, etiam Lucretius, qui non multo ante Vergilium fuit; archaismus dignus poeta grandius quid sonante; *mage* etiam Ciceronem dixisse ait Servius ad 10, 481; restat *Pollicitus* A. 1, 237, quod sunt qui ex *pollicitus es* conflatum existiment; verum id nostra nunc non refert; satis est apparere, quibus finibus in ea re se continuerit modestia poetae, neque quidquam obsoleti eum in carmina sua admisisse; quare incredibile mihi videtur poetam castissimum tersissimumque tale quid, quale *floros*, huc intulisse, et forma et usu obsoletum, quodque nulla ex parte cum iis, quae supra posuimus, comparari possit. Quid, quod minime convenit elegantiae Vergilianae talis compositio: floros crines et roseas laniata genas. Quid est enim *florus*? pulcher, ait Servius; at quam vagum illud parumque respondens certo colori, roseo illi dico genarum; quare si *floros* scripsisset poeta, non roseas deinde dixisset genas, sed vel pulchras vel item floras; neque vero facile quis plaudet iudicio Probi, qui floros crines eo ipso commendatum it, quod sequatur *roseas laniata genas*; aut quis nostrum composue-

rit *das blühende haar und die rosigen wangen?* Quanto praestabat iungere flavos crines et roseas genas! Tu vero, candidissime Anthoni, si quid novisti rectius istis, Candidus imperti: si non, his utere mecum!

Aen. 12, 648.

Sancta ad vos anima atque istius inscia *culpae*
Descendam.

nescia Ladewigius et Hauptius, quod e Menag. pr. et edit. princ. a Burmanno enotatum. Heinsius etiam apud Macrob. 3, 3, ubi hic versus affertur, *nescia* legi affirmat; certe in Zeuniana editione, quae, dum haec scribo, sola ad manum est, *inscia* reperio; sed etiamsi *nescia* scripserit Macrobius, prope nullius id erit ponderis, quoniam ibi non de hoc ipso adiectivo, sed de primo versus vocabulo *Sancta* agitur. Facile apparet, qui *nescia* scripserunt, metro succurrere voluisse. Lachmannus ad Lucret. 2, 27, ubi de hoc binisque similibus exemplis agit, „alia, ait, quae emendationem suadeant, argumenta praeter metri insolentiam nulla dici possunt." Sed quam emendationem ipse proponit Vir egregius „Sancta ad vos anima atque anima istius inscia culpae," ea longe abhorret a Vergiliana elegantia. Mihi quidem non videtur vitiosus esse hic versus, certe non propterea, quod nullum ei similem invenimus; satis illa metri insolentia defenditur affectu loquentis, quo nihil potest esse gravius, nihil *παθητικώτερον*. Ac si verum est, id quod ab omnibus conceditur, etiam in parvis rebus apud Vergilium deprehendi imitationem Homeri, poterimus hoc conferre cum illo Homerico *φίλε ἑκυρέ*: frustra enim oppones *ἑκυρός* habuisse digamma; nam id non curabant, qui apud Romanos Homerum lectitabant. Ceterum sunt haec ita pronuntianda, ut aliquid pausae intercedat inter *anima* et *atque*. Quod autem Lachmannus Vergilium 3, 463

Dona dehinc auro gravia a *sectoque elephanto*

scripsisse opinatur, haud scio an hoc quoque alienum sit a nitore Vergilii. Inveniuntur apud hunc *aque*, *eque*, *inque*, *perque* sic coniuncta, non dirempta interposito aliquo nomine; *a sectoque* pingue quiddam habere videtur, quodque vix satis tueare comparato illo *Sub pedibusque*, quod est Ecl. 5, 57, cui excusatio parata est cum ex concitatione numerorum, tum ex eo, quod, nisi fallor, *subque*, sic coniunctim, non dixerunt Latini. Accedit, quod breve *a* etiam a Terentio, quem laudavi in minore editione, ante *s* pro-

ducitur in metro choriambico. — Sed ut redeamus ad 12, 648, videant alii, quomodo tueantur illud *nescia.* Qui se inscium culpae dicit, significat se culpae sibi non conscium esse; at qui sibi non conscius est, non dicitur nescius. De discrimine horum adiectivorum haec potissimum habeo, quae dicam. Nescius est, qui non comperit alicunde rem, quam nescit; tum, qui non habet, quid agat; *nescius* poetice cum infinitivo iunctum significat, qui non consuevit nec potest, ut *nescius vinci*; denique haud nescius apud poetas dicitur etiam is, qui ex re praesenti certam coniecturam facit, ut 9, 552. Contra inscius est, qui sibi non conscius est rei, cuius dicitur esse inscius; tum quem latet, quod agitur aut quod dignum sit cognosci. Haud inscitum est, quod 12, 227 duo codices exhibent *haud inscia rerum*, quae non videtur depravatio librariorum, sed emendatio docti grammatici.

Caput secundum.

Contra codicum veterrimorum, Medicei maxime, auctoritatem.

Ecl. 3, 109. *Et quisquis amores*
Haut metuet, dulcis *aut experietur amaros.*

Contra Ladewigius:

Aut metuet dulcis, *aut experietur amaros.*

Neque aliter Hauptius, etsi is comma ex suo more omisit. Nondum refutatae sunt rationes, quibus ostendere conatus sum subesse his verbis mendum aliquod a nullodum sublatum. Scripseram in Varr. Lectt. „pronomen *quisquis* h. l. nullo pacto pro *quisque* dictum accipere licet. Nam ut concedam optimi saeculi scriptores relativis vel nominibus vel particulis, ut *quicumque, qui, ubi, ut,* aut etiam pronomini possessivo *suus* ita interdum subiungere *quisquis*, ut pro quisque positum videri possit, non facile tamen vel *pessimus* scriptor in initio enuntiati, qui locus proprius est relativis, *quisquis* ita posuerit. Et initio enuntiatorum ea quoque posita censenda sunt, quibus praecedit copula, ut hoc loco, quippe quae nihil pertineat ad ipsus vim sententiae, sed tantum iungendis duobus enuntiatis inserviat." Stomachabar paululum, Anthoni, quod haec pro indictis habuit Ladewigius. Itaque, quae tum brevius exponenda erant, (ut alia quaedam aliis locis) ea nunc mihi video dilatanda esse subtiliusque pertractanda. Exem-

pla prope omnia deprompta sunt ex I. H. Vossii disputatione, quae inserta est libro, cui inscriptum *Deutsches museum* 1786, Vol. 1, p. 24 sqq., quibus, si Tibi videtur, doctissime Anthoni, addes alia a Madvigio ad Cic. de Fin. 5, 9 et a Lachmanno ad Lucret. 5, 264 proposita. Ex his cognoscitur hoc pronomen in significationem pronomini *quisque* proximam abire

1) praegressis relativis:

a) *ut quicquid* Plaut. Amph. 2, 152 „Ordine omne, ut quicquid actum est, edissertavit".

b) *ubi quicquid* Lucret. 3, 619 „ubi quicquid possit durare creatum". item 3, 788 (787 L.) 5, 132 (131 L.)

c) *qua quicquid* Lucret. 1, 290 (289 L.) „ruit, qua quicquid fluctibus obstat", quod nolim a Lachmanno mutatum; item 5, 771 (773 L.). — Ceterum *ut quicquid* et *ubi quicquid* exstat etiam apud Ciceronem.

d) „*quatenus quicquid* se attingat" Cic. de Fin. 5, 9.

2) praegresso pronomine *suus:* Lucret. 2, 956 (957 L.) „Inque suos quicquid rursus revocare meatus". Plaut. Cas. 3, 1, 10 „cibo Cum suo quiqui facito veniant".

3) accedente adiectivo: Lucret. 4, 146 (145 L.) „summum quicquid", Cic. Lim. ap. Sueton. vita Terent. c. 5 „Quicquid dulce" (Apud Plautum Truc. 5, 48 *quicquid pauxillulum* dudum mutatum est *quid paux.*). Adiicitur etiam genetivus, Lucret. 5, 265 (264 L.) *primum quicquid aquai*, 285 (284) *primum quicquid fulgoris*, 304 *primum quicquid flammarum*. Denique huc referes *unum quicquid* apud Plautum, Terentium, Lucretium.

4) adiectivi modo iungitur cum substantivo *quibusquibus* apud Livium 41, 8 „liberos suos quibusquibus Romanis (τῷ τυχόντι) mancipio dabant"; adsentieris autem mihi, optime Anthoni, eximenti hoc exemplum e numero eorum, quae secundo generi supra attribui. Lucret. 2, 483 „Namque in eadem una cuiuscuius brevitate Corporis"; ubi in libris mss. non est *cuiuscuius*, sed *cuiusvis;* vid. ibi Lachmannus.

Quisquis nominandi casu pro *quivis* dici negat Lachmannus ad Lucret. 5, 264. pag. 287; et videor mihi videre rationem; „*unus quisquis*, ait, nemo dixit, neque aut Cicero in Epist. 6, 1, scribere potuit *quocumque in loco quisquis est*, aut Catullus 62, 12 *quisquis* pro *quivis*". Dudum emendatum est illud *ut quisquis*, quod legitur apud auctorem Cir. vs. 89; item apud Cic. de Off.

1, 46 „ut quisquis his virtutibus erit ornatus", ubi ex praestantioribus libris recte restitutum est *quisque.* Et apparet facile fieri potuisse, ut librarii eandem syllabam per errorem geminantes pro *quisque* exararent *quisquis;* idque apud Plinium quoque factum putabimus Paneg. c. 55 „ut quisquis factus est princeps", et Epist. 1, 20 „Praeterea suae quisquis inventioni favet". Sed fac *quisquis* verum esse his locis, non tamen aliter dici intelliges, quam *quicquid* supra vidimus, i. e. ita, ut subiiciatur vel relativis vel pronomini possessivo. Nam quae praeterea afferuntur a Vossio, omnia sunt e relativo genere, Ovid. A. A. 1, 267 „Quisquis ubique viri, dociles advertite mentes, Pollicitisque favens, vulgus, adeste meis", ubi interpungendum esse apparet *Quisquis ubique, viri, dociles,* tum id ipsum *Quisquis ubique* est i. q. quisquis ubique estis. Lucan. 8, 642 „sed quisquis in istud A superis immisse caput", ubi *quisquis* nec est i. q. quivis, nec Vossius ipse sic accipit, sed interpretatur „quisquis es". Falso idem *quiqui* vult esse i. q. *omnes* Plaut. Men. 5, 9, 97 „Venibunt servi, supellex, fundi, aedeis; omnia Venibunt, quiqui licebunt, praesenti pecunia", quae male interpuncta melius interpungemus hunc in modum: „Venibunt s. s. f. aedeis, omnia. Venibunt, quiqui licebunt", i. e. vel quoquo, quantocumque pretio, vel, quod praefero, omnes qui, ubi cum exspectes *quaequae*, Plautus scripsit *quiqui*, referens non solum ad potius genus, masculinum, sed etiam ad res potiores carioresque, servos fundosque. Poen. 3, 2, 11 „ADVOCATI: Di te perdant. MI: Vos quidem hercle commendo. Quiqui tamen Et bene et benigne facitis, quom hero amanti operam datis". Haec quoque mala interpunctione obscurata sunt, hunc in modum distinguenda: „Vos quidem hercle. Commendo, quiqui" *etc.* i. e. Vos quidem di perdant. Quiqui tamen hero meo benigne operam datis, commendo.

Denique quae affert Vossius *quoquo modo, quoquo pacto*, ea constat dici *ἐλλειπτικῶς*.

Restant, quae sola opinioni Vossii videntur suffragari verba Senec. de Tranq. 11 „Sapiens non mancipia tantum possessionesque et dignitatem, sed corpus quoque suum et oculos et manum et quidquid cariorem vitam facturum seque ipsum inter precaria numerat". At quid prohibet, quominus *quidquid,* ut debet pro relativo accipiatur verbumque *est* etiam consulto omissum

existimemus, ne turbetur aequabilitas sermonis, quae intercedit inter illa *et oculos et manum . . . seque ipsum.* Praeterea est apud Cic. Ep. ad Att. 16, 8 „Veteranos, quiqui Casilini et Calatiae, perduxit ad suam sententiam": adde, quae paulo ante laudavimus, Ovid. A. A. 1, 267 et Lucan. 8, 642.

Quae cum ita sint, quotusquisqne iam erit, qui Vergilium *quisquis* pro *quivis* dixisse affirmet, idque eum Plauti Lucretiique exemplo fecisse?

Ecl. 7, 54. *Strata iacent passim sua* quaque *sub arbore poma.*

Non persuasit mihi Lachmannus (ad Lucret. 2, 371) veram esse librorum lectionem receptam illam a Ladewigio atque ab Hauptio „*sua* quaeque *sub arbore poma*"; quare non persuaserit, apparebit Tibi, Anthoni, opinor, si exempla et a Lachmanno et ante a Drakenborchio et Dukero ad Liv. 3, 22 et a Madvigio ad Cic. de Fin. 5, 17, 46 collecta diligentius examinare mecum volueris.

In ea re non satis attenderunt grammatici, quomodo inter se discreta sint *suus quisque* et *suus quemque* ceteraque similia, praeterea non eodem ubique modo hoc ipsum *suus quisque* dici solere. Nec promiscue dici *suus quisque* et *suus quemque* vel ex eo intelligitur, quod non ubique alterum alteri substituere aut sensus patitur aut leges grammaticae sinunt.

Ia, *Suus quisque* primum ponitur in definiendo tempore. Nota sunt illa *tertio quoque die*, *mense*, *anno*. *alle mal das dritte jahr.* Ubi autem res fiunt non dinumeratis temporibus, sed tamen certo statoque tempore, eae fiunt *suo quoque die*, *mense*, *anno*, *alle mal zum bestimmten tage*, *monate*, *jahre.* Licebit rem et suo quamque mense facere et suo quoque mense. Qui semina suo quaeque mense serit, is significatur non quovis mense serere, sed eo, quo serere quaeque convenit; qui semina suo quoque mense serit, is dicitur semper certum mensem servare, qui serendis quibusque seminibus aptus sit. Itaque Colum. 11, 3 „Et quoniam percensuimus opera, quae suis quibusque temporibus anni vilicum exsequi oporteret", i. e. *τοῖς ἀεὶ καθήκουσι χρόνοις.* Vitruv. 2, 9, 4 „ea enim cum suo quoque tempore ad imum perforata castrantur". Eodem pertinent, quae ex Pandectis attulit Dukerus „nisi sua quaque die usurae exsolventur," *zum jedesmaligen termine*, et „curare, ut opera rustica suo quoque tempore facias." Liv. 33, 46

„pecunia, quae in stipendium suo quoque anno penderetur, deerat"; ubi si Livius scripsisset „quae suo quaeque anno penderetur", nescio an significaretur universa pecunia in tributum postulata, sed singulis pensionibus solvenda; quae non iam tum omnis parata esse poterat; nunc cum *suo quoque anno* (i. e. *jedes einzelne jahr)* scripserit, indicare mihi videtur, id quod res ipsa exigit, in eum annum, quo magistratum iniit Hannibal, defuisse pecuniam. Sueton. Aug. 40 „ne plebs frumentationum causa frequentius a negotiis avocaretur, ter in annum quaternûm mensium tesseras dare destinavit Augustus; sed desideranti consuetudinem veterem concessit rursus, ut sui cuiusque mensis acciperet" tesseram scilicet; nos dicemus *alle mal für jeden besondern monat.* Ex tab. Heracl. hoc affert Madvigius „quae stipendia in castris inve provincia sui cuiusque anni fecerit".

1b) A certo tempore translatus est hic usus ad certum locum. Varro R. R. 1, 22, 6 „instrumentum et supellectilem rusticam oportet habere scriptam in urbe et rure dominum, vilicum contra ea ruri omnia certo suo quoque loco ad villam seposita". Cic. de Nat. D. 3, 34 „Eundem ferunt edixisse, ut, quod quisque ex sacris haberet, id ante diem certam in suum quodque fanum referret". Eodem rettulerim, quae leguntur apud Iuvenal. 7, 213 „Rufum atque alios caedit sua quaeque iuventus"; quaeque, i. e. quae apud quemque magistrum assidue est studendi causa; hic quidem sensus simplicior; sed potest etiam tempus intelligi, hunc in modum: Rufum nominat poeta, quo significet omnino eos, qui Rufi aetate erudiendae iuventuti operam dederunt; addit alios, qui post Rufum idem fecerunt vel in posterum facient; hoc si probas, *quaeque iuventus* est, quae quoque tempore sub suis est magistris, alia alio tempore sub aliis.

2) Alterum genus cernitur in divisione partium per se spectatarum, quod non multum differt ab usitato illo, quale est „principes sui quique ordinis", *jeder angesehenste seines standes.* Tamen aliud quidpiam est „sui cuiusque ordinis principes", i. e. „*die angesehensten ihres besondern standes*", quo fit, ut diversitas ordinis magis notetur. Sueton. Aug. 66 „Reliqui potentia atque opibus ad finem vitae suae sui cuiusque ordinis principes floruerunt." Tacitus Ann. 14, 27 „universae legiones deducebantur cum tribunis et sui cuiusque ordinis militibus". Caesar B. C. 1, 83 „primam aciem quaternae cohortes ex V legionibus tene-

bant; has subsidiariae ternae et rursus aliae totidem suae cuiusque legionis subsequebantur". Livius 3, 22 „equites suae cuique parti post principia conlocat", *ihrer besondern völkerschaft;* idem 25, 17 „armatum exercitum decucurrisse cum tripudiis Hispanorum motibusque armorum suae cuique genti adsuetis", *die jedem besondern volke eigenthümlichen bewegungen.*

3) Tertium genus versatur et ipsum in distributione partium, sed cum generibus suis collatarum, ita quidem, ut perpetua quaedam proprietas partium declaretur. Cic. de Fin. 5, 17, 46 „quia cuiusque partis naturae et in corpore et in animo sua quaeque vis sit". Acad. 2, 19 „in sensibus sui cuiusque generis". de Orat. 3, 216 „vox acuta gravis, cita tarda, magna parva; quas tamen inter omnes est suo quoque in genere mediocris". Varro de L. L. 9, p. 474 „ut ex turdis qui procreantur, turdi, sic ex relicuis sui cuiusque generis". Vitruv. 1, 3, 2 „et ad regiones sui cuiusque generis apta et commoda dispositio". Festus p. 344, 21 „Sex Vestae sacerdotes constitutae sunt, ut populus pro sua quaque parte haberet ministram sacrorum". Colum. 3, 1 „Silvestres ac ferae sui cuiusque ingenii semina gerunt". Varro de L. L. p. 533 „cum analogiae sui cuiusque temporis verba debeant discriminare". Gellius 10, 9 „Vocabula sunt militaria, quibus instructa certo modo acies appellari solet, frons, subsidia, cuneus, orbis, globus, forfices, serra, alae, turres. Translata autem sunt ab ipsis rebus, quae ita proprie nominantur; earumque rerum in acie instruenda sui cuiusque vocabuli imagines ostenduntur".

Iam ut ad Vergilium redeamus, ubi contemplatus fueris exempla omnia supra proposita, videbis, Anthoni, diversum ab illis omnibus esse versum Vergilii. Apparet autem versum hunc cum iis exemplis conferendum esse, quae tertio loco posuimus; at nulla est in hoc versu generis significatio, quae est in omnibus exemplis ibi prolatis; haec omnia referuntur ad pluralitatem, cuius notionem deprehendimus etiam in eo, quod primo loco laudavimus (Cic. de Fin. 5, 17, 46) et in versu Lucretiano (2, 371), si verum ibi restituit Lachmannus, id quod in loco corrupto dubium est; nam verba *frumentum quodvis* pluralis numeri potestatem habent; at *arbor* ne in collectivis quidem numeratur. Recte quidem dixeris „arboribus fructiferis sua quaeque sunt poma"; sed quid est *sua quaeque poma sub arbore?* *τὰ ἀεὶ ἴδια μῆλα ὑπὸ*

δένδρῳ τινί. at quae sunt certa poma incertae arboris? Contra „sua quaque sub arbore mala" significant *τὰ ἴδια ἑκάστου δένδρου μῆλα,* quae sententia una exprimit id, quod poeta et voluit et debuit.

Ecl. 8, 74.

73. *Terna tibi haec primum triplici diversa colore*
Licia circumdo, terque hanc *altaria circum*
Effigiem duco.

haec altaria Jahnius, Ladewigius, Hauptius, atque ita codices excepto uno omnes. Jahnius hac utitur contra me disputatione: „*hanc* cum loci sententia non convenit. Maga enim Daphnidis effigiem in manibus tenet, eam alloquitur, eique ostendit singulas res, quibus magicam artem experiri vult. Vocabulum *imaginem* respondet praegresso *tibi,* neque aliud significat quam *te.* Itaque *hanc imaginem* significat *hunc te*, quod h. l. ineptum est. Recte autem: „tibi haec licia circumdo, te circum haec altaria duco." Primum non vidit Jahnius *hanc effigiem* esse imaginem, quae te repraesentat; quis autem ineptire dicat eum, qui hunc in modum loquatur: atque hanc imaginem te repraesentantem duco circum altaria. Effigies autem, nisi universum genus eo vocabulo comprehenditur, est aliqua effigies, non haec, non tua, incerta, non certa; ergo verba *hanc effigiem* non significant *hunc te* ; nihil igitur inepti in lectione mihi Vossioque probata; neque is erat Vossius, ut causam agam mortui, qui facile ineptiis se irretiret. Intelligimus quidem, cum pharmaceutria alloquitur absentem Daphnidem, ad imaginem Daphnidis spectare hunc sermonem, sed cum in ipso nomine *tibi* nulla insit notio imaginis, non debebat deinde nudum vocabulum imaginis inferri, quippe quod vagam relinquat in animo notionem, sed adiecto pronomine demonstrativo declarandum erat, quae esset ea imago, illa scilicet, quam mulier ista manu tenebat liciis adornatam. Ferri aliquo modo hoc posset: duco tibi effigiem, quod ita dicitur, ut *tibi* cum *duco* iungatur; sed quomodo *effigiem* respondere possit pronomini *tibi*, nae id non video; nam etsi novi pro *eum* apud poetas saepe *virum* et similia similiter dici, tamen quomodo *effigiem* pro *te* aut *tuam* vel *hanc effigiem* dici possit, nisi ante disertis verbis expressa sit notio imaginis, non exputo; quamquam mihi ipse paene irascor, quod non perspicio, quod viri perspicaces perspexisse sibi visi sunt. Sed missum hoc faciamus. Illud quivis facile concedet, cum iam vs. 64 ab ipsa pharmaceutria

monstrata sint altaria, („Effer aquam, et molli cinge haec altaria vitta") non modo non desiderari vs. 74 pronomen *haec*, sed potius otiosum videri. Atqui si vocabulum *altaria* non requirit pronomen, requirit autem *effigiem*, quid dubitamus amplecti quod res ipsa exigit? Ac vide mihi nunc, ut pharmaceutria ubique monstrantis partes agat: vs. 64 *haec altaria*, 73 *haec licia*, 80 *limus hic* et *haec cera*, 83 *hanc laurum*, 91 *has exuvias*, 95 *has herbas* et *haec venena;* num igitur credibile est, cum totum negotium ab ista imagine adornanda circumque altaria ducenda initium capiat, pharmaceutriae animum non ad hanc potissimum conversum fuisse?

Ecl. 9, 3. 2. *O Lycida, vivi pervenimus, advena nostri*
Quo *numquam veriti sumus, ut possessor agelli*
Diceret cet.

Teneo *Quo*, donec constiterit „*pervenimus, ut*" Latinum esse, etsi ipse etiam Hauptius *Quod* revocavit. Dixeram, si *Quo* legatur, facile inde repeti *eo*, quod propter verbum *pervenimus* desideratur; id negat Jahnius per verba interposita *advena nostri* licere. At quam aptum est perturbato Moeridis animo genus orationis hoc perplexum!

G. 1, 419. Densat, *erant quae rara modo, et, quae densa, relaxat. denset* Ladewigius et Hauptius. Nondum me paenitet eorum, quae pro recepta a me forma *densat* disputavi, eo minus, quod in ipso Mediceo h. l. *denset* in *densat* mutatur, quodque contraria in eius versus principio exituque posita, *densat* . . . *relaxat*, commendant hanc extremarum syllabarum similitudinem.

G. 3, 230. *et inter*
Dura iacet pernox *instrato saxa cubili.*

pernix revocatum a Ladewigio; sed non solum nitendi, unde factum *pernix*, significationem ab hoc loco alienam esse, sed etiam adiecta illa *instrato cubili*, ita comparata esse, ut paene flagitent *pernox*, in confesso est. Retinuit *pernox* etiam Hauptius.

G. 3, 241. *at ima exaestuat unda*
Verticibus, nigramque alte subiectat *arenam.*

subvectat Ladewigius, quod ex usu sermonis Latini constanti dicitur de iis, qui onera supportant sive ex loco in locum vehunt; *subiectat* retinuit mecum Hauptius.

G. 3, 235. 229. *Ergo omni cura viris exercet* . . .

232. *Et temptat sese atque irasci in cornua discit,*
234. . . . *et sparsa ad pugnam proludit arena.*
235. Post, *ubi collectum robur viresque refectae,*
Signa movet praecepsque oblitum fertur in hostem.

Ex uno Mediceo (nam Colotianus, qui additur, est idem, qui Mediceus) *Ast* Ladewigius recepit pro *Post. Post* recte, puto, servat Hauptius; in hoc nihil est, quod offendat; *Ast* indicaret transitum ad alia, nova, a superioribus diversa; non conceditur huic particulae locus in rebus secundum suum ordinem proponendis. Nempe postquam multa exercitatione taurus iste satis se praeparavit ad novum certamen cum adversario ineundum, iam descendit ad eam pugnam. Handius Tursell. 1, 422 „Ubi consecutio aliqua rerum aut nexus exprimendus est, ponitur *ac*, non *at.*" Quod si *Atque* legeretur in Mediceo, id ferrem reponeremque.

G. 3, 305. Hae (caprae) *quoque non cura nobis leviore* tuendae. *Haec . . . tuenda* Ladewigius scripsit, secutus Paldamum. *Haec* Ladewigius interpretatur: „ea, quae modo de cura ovium praecepi," quae sententia alienissima est ab hoc loco, id quod, qui animum ad ea, quae modo dixit poeta, attendit, vel non monitus videt, certe dicendum erat: „Haec quoque non minore cum cura exsequenda sunt, quam illa, quae de cura ovium praecepi;" quamquam quaeri potest, num verbum tuendi in tali re satis proprie dicatur. Praeterea vide, Anthoni, quomodo haec inter se conspirare putes: „Haec (quae modo de cura ovium praecepi) tuenda sunt, nec minor usus erit;" num usus praeceptorum? At non de horum utilitate agitur, sed de utilitate caprarum comparata (vs. 306 sqq.) cum utilitate ovium. Apparet vs. 305 a praeceptis transitum fieri ad universum genus caprinum eiusque utilitatem, quo in transitu necesse erat designari id genus vel suo nomine (quod non satis apte h. l. fieret) vel pronomine. Et constat *Haec* antiquos dixisse pro *Hae*, sed si, ut par est, fidem habemus optimorum librorum testimoniis, Vergilium illa forma abstinuisse credemus; relinquitur igitur, quod ego aliique, inprimis Hauptius, tuiti sumus *Hae . . . tuendae.* Verbum *tueri* in re pecuaria proprium est diciturque de alendo, conservando, propagando grege. Alendis autem, conservandis propagandisque capris non minorem curam impendi vult poeta, quam ovibus. Qua in re cum dissentiat a popularibus suis, dedita opera hunc dissensum versu 305 testatum fecit statimque de utilitate caprarum exponit,

contra de ovium utilitate, ut nulli dubia, differt disserere. Non aliter, quam ceteri tum Romani, sentiebat Columella 7, 2 „Post maiores quadrupedes ovilli pecoris secunda ratio est, quae prima fit, si ad utilitatis magnitudinem referas," add. Varro R. R. 2, 1, 4. — Ceterum propter ea, quae Fleckeisenius meus scripsit in septimo volumine Musei Rhenani pag. 271 sqq., libet hoc addere: si Vergilius et Cicero *haec* pro *hae* dixissent, vix est credibile tacitum id relictum esse a veteribus grammaticis latinis; Ciceroniani quidem codices prope omnes recentiores sunt, quam quorum in eiusmodi re magna sit fides.

G. 3, 402.

Sub lucem exportans (lac) *calathis adit oppida pastor.*

exportant Ladewigius, Jahnium secutus. En verba poetae, qualia Ladewigius et Jahnius esse volunt, vs. 400—3:

Quod surgente die mulsere horisque diurnis,
Nocte premunt, quod iam tenebris et sole cadente,
Sub lucem exportant calathis — adit oppida pastor —
Aut parco sale contingunt hiemique reponunt.

Quis ferat hanc vacillanti claudicantique sententia parenthesin, aut quis non miretur Vergilium, cum scribere potuerit „calathisque adit oppida pastor," maluisse haec interiicere *adit oppida pastor* manco sensu, cuius explendi gratia necesse sit repetere *calathis exportans.* Saltem, qui hanc infantiam Vergilio imputant, debebant hunc versum reddere tolerabiliorem distinguendo „Sub lucem exportant — calathis adit oppida pastor" —: *exportans* etiam Hauptius.

G. 3, 433. Exsilit *in siccum.*

Extulit ex uno Mediceo Paldamus et Ladewigius, i. e. *extulit se;* et constat multa verba transitiva μέσως dici. Sed caute versandum est in commendandis eiusmodi lectionibus (vitia saepe rectius dixeris), quae unius exempli fide et auctoritate nituntur. Certus est numerus transitivorum, quae constat pro mediis poni. Itaque si quod extra eum numerum exemplum, quod sit unum in suo genere, inventum fuerit, id nisi criticis aliisve idoneis rationibus satis munitum fuerit, mendosum videri debebit. Hoc autem verbum, *efferre*, cum sit in maxime tritis, nusquam praeterea μέσον est; idem si rarum haberet usum, non multum repugnarem, quominus ita dici potuisse concederem; nunc nec ego concedo, nec concedere Hauptius videtur.

G. 4, 14. *lacerti*
Pinguibus a *stabulis absint.*

ab stabulis unus Mediceus, ceteri *a stabulis.* *Ab* receptum a Ladewigio et ab Hauptio. Sed vs. 191 in omnibus libris est „*Nec vero* a stabulis *pluvia inpendente recedunt*"; nec editorum quisquam ibi exprimendum curavit *ab.* Tanta est autem horum versuum similitudo, ut facere non possimus, quin Vergilium utroque loco aut *a* aut *ab* scripsisse statuamus. Verum cum apud hunc poetam nusquam praepositionem *ab* ante vocabulum anapaesti mensuram habens positam reppererim, consultius duxi retinere id quod semel edidi *a*. Levis videtur illa observatio, sed quam haud contemnendam iudicaverim.

G. 4, 202. 200. *ipsae e foliis natos et suavibus herbis*
Ore legunt, ipsae regem parvosque Quirites
Sufficiunt, aulasque et cerea regna refingunt.

refigunt Ladewigius revocavit, Hauptius tenet, quod ego edidi, *refingunt.* De re mira se dicturum profitetur poeta vs. 197; atque illud minime admirandum, quod ceras resectas reficiunt refiguntque; at hoc est mirabile, quod refingunt aulas et regna cerea, novos reges novumque populum semper ex foliis legentes. Huic uni sententiae respondent etiam, quae vss. 206 sqq. subiiciuntur:

Ergo ipsas quamvis angusti terminus aevi
Excipiat; neque enim plus septima ducitur aestas;
At genus inmortale manet, *cet.*

Verum ineptissime haec, cum vss. 197—202 sententiarum unitate coniuncta, interrumpuntur versibus tribus interpositis ad faciendum mel, rem diversam, spectantibus:

Saepe etiam duris errando in cotibus alas
Attrivere ultroque animam sub fasce dedere:
Tantus amor florum et generandi gloria mellis!

Itaque stellulas his versibus in editione minore apposui, non quod a Vergilio procusos negarem, sed quod, ut dixi in ea editione, non suo loco positi sunt. Has stellulas removit Ladewigius, (removit etiam Hauptius) eosque versus hunc in modum cum superioribus cohaerere vult, ut dicat tanto apes ferri studio materiae ad propagandam prolem ex floribus colligendae, ut caecae in periculum ruant. Sed poeta ipse (vs. 205 „Tantus amor flo-

rum et generandi gloria mellis) disertissime pronuntiat de mellificatione se ibi dicere, non de procreatione apum. Quare, ni fallor, Anthoni, assentiere mihi hos tres versus eo, unde eiecti sunt, referenti interque vs. 183 et 184 collocanti. Versu 180 de reditu apum labore diurno fessarum commemoratur; commode huic orationi adiunguntur vss. 203—5: multae apes, ait poeta, ne redeunt quidem, sed, dum aberrantes per noctem a via alas atterunt inter cotes, fessae onere opprimuntur. Quid multa? res ipsa loquitur.

G. 4, 505. *Quo fletu Manis*, qua *numina voce moveret?*
quae numina Ladewigius; recte Hauptius mecum *qua*; primum enim apte sibi respondent *Quo fletu . . . qua voce*; et constat crebro talia componi; tum commemoratis Manibus, i. e. diis inferis, parum commode subiiceretur hoc *quae numina*, quasi non etiam dii inferi numen habeant.

Aen. 1, 426. *Jura magistratusque legunt sanctumque senatum.*
Versum hunc a multis in suspitionem *νοθείας* vocatum uncis inclusit Ladewigius, itemque Hauptius; et stellulas ante a me remotas nunc ipse reponendas censeo.

Aen. 1, 448. *Aerea cui gradibus surgebant limina* nexaeque
Aere trabes.
nixae recepit Ladewigius, item Hauptius; nunc ego quoque desero Medicei auctoritatem, in quo est *nexae*.

Aen. 2, 290. *ruit* alto *a culmine Troia.*
alto edideram, ut superiores editores, et aliorum et Medicei fide confirmatum. Ladewigius recepit *alta* Jahnium secutus, idem exhibet Hauptius. Si verum est *alta*, (et ipse nunc puto verum esse) non est hoc tam propter imitationem Homeri (*ὤλετο πᾶσα κατ᾽ ἄκρης Ἴλιος αἰπεινή*) quamvis manifestam tenendum, ut visum est Ladewigio, quam quod absoluta per se videtur esse locutio *a culmine ruere*, quemadmodum *κατ᾽ ἄκρης ὀλέσθαι*, quae adiectum tale quid, quale *alto*, respuat, nec additum est vs. 603 „sternitque a culmine Troiam." Et potuerunt librarii, ut *alto* scriberent, eo induci, quod meminerant illa *ex alto*, *ab alto* vel *a summo culmine* multis locis scripta, quae de tecti altitudine vel summitate accipienda sunt.

Aen. 2, 349. *si vobis* audentem *extrema cupido*
Certa sequi, quae sit rebus fortuna videtis.
audendi, quod est in Mediceo aliisque libris, recepit Ladewigius,

idque ut stare possit, comma ponit post *Certa*, post *sequi* punctum, eumque infinitivum Homerico more pro imperativo *sequimini* usurpatum statuit; idem in dissertatione scholastica, cui inscripsit „*über einige stellen des Vergil*", satis notum esse ait, id quod exemplis comprobat, multa a Vergilio novata esse, itaque non esse mirum, si etiam infinitivum pro imperativo posuerit. At hoc quidem nusquam praeterea ab ullo Romano scriptore factum novimus. Res ita se habet: ubi novamus aliquid in aliqua lingua, id, si vitium cavere volumus, necesse est ingenio eius linguae consentaneum esse. Et talia sunt omnia, quae a bonis scriptoribus Romanis novata sunt, nullus autem tantum ausus est, ut infinitivo vim tribueret imperativi, scilicet quod id a Latino sermone abhorrere visum est. At locutus est ita, ait Ladewigius, Valerius Flaccus 3, 412 „Tu socios adhibere sacris." Vellem cetera adiecisset, quod si fecisset, fortasse, dum ea transcriberet, ipse stilum vertisset. Ita enim est apud Valerium:

Tu socios adhibere sacris armentaque magnis
Bina (*bima*) deis.

Quis, quaeso, praeterea sic locutus est, Anthoni: *armenta ad hibere deis?* At, inquiet nescio quis, zeugmate usus est poeta. Constat, quid sit *socios adhibere sacris*; sed hoc ipsum cum sit plane diversum ab eo, quod significari fortasse aliquis statuerit per illa *armenta deis adhibere*, ne locus quidem est tali zeugmati. Iure etiam quaesieris, quis umquam armenta dixerit oves? nam oves hoc loco memorandas fuisse docet descriptio sacrificii vs. 431. Quid verbis opus est? non debebant ad rem tam singularem probandam verba corrupta adhiberi. — Ceterum si cum verbis Vergilianis interpretes comparassent locum geminum, qui exstat 9, 194 sqq.:

„*Si* tibi quae posco promittunt, — nam mihi facti
Fama sat est — tumulo videor reperire sub illo
Posse viam ad muros et moenia Pallantea,"

non quaesissent nodum in scirpo.

Aen. 3, 340. Quae *tibi iam Troia* — — —
Quem revocavit Ladewigius, quo admisso desinunt vs. 340 et 341 inter se cohaerere. *Quae* tuetur etiam Hauptius, licet ea sit unius codicis lectio.

Aen. 3, 558. *Nimirum* haec *illa Charybdis.*

hic illa Charybdis Ladewigius scripsit Mediceum paucosque alios secutus. Hauptius retinuit *haec*, recte, si quid video. *Nimirum hic illa Charybdis* significat: hoc loco est, non alio; quod recte diceretur, si aut in errore locorum versatus esset Aeneas, aut commemoraret rem non ante commemoratam; at cum ille recordetur praeceptorum Heleni, *haec* dicendum erat, i. e. haec est Charybdis illa, quam nobis vitandam dixit Helenus. Et sic loquuntur Romani, cum ex rerum certarum recordatione coniecturam capiunt haud dubiam. Cic. de divinat. 1, 54 „Hoc nimirum est illud, quod de Socrate accepimus," et Epist. ad Att. 9, 9. „Nimirum hoc illud est, quod Caesar scribit."

Aen. 3, 614. *Sum . . . . comes infelicis Ulixi,*
Nomen *Achemenides, Troiam . . . profectus.*

Nomine Ladewigius, ut Mediceus, commendatum a Jahnio ad 12, 515; recte vero *nomen* retinuit Hauptius, satis, puto, defensum a me ad 6, 242. Jahnius l. l. ait Vergilium debuisse scribere *nomine.* Vellem docuisset Latine dici *sum nomine Titius.*

Aen. 3, 625. *sanieque* exspersa *natarent*
Limina.

adspersa communem codicum lectionem revocarunt Ladewigius et Hauptius. Erudite Servius: „*Exspersa*, haec fuit vera lectio, i. e. madefacta. Nam si *Adspersa* dixeris, i. e. irrorata, tapinosis et hyperbole iunguntur." Atque ita loquitur non qui coniecturam facit, sed qui dicit testimonium. Ergo antiquam fuisse lectionem *Exspersa* credemus. „At vero, ait Peerlkampius, *exspergere* significat *dissipare*, quod alienum ab hoc loco." Nempe *exspergere*, quantum constat, non invenitur apud eos scriptores, quorum libri exstant, nisi bis apud Lucretium. Num igitur ex binis exemplis recte colligemus numquam a quoquam aliter dictum esse *exspergere*, nec posse verbi *spargere*, quod est in *exspergere*, significationem convenire cum ea, quae est in verbo *adspergere*? Doctum autem grammaticum, cuius scholion prodit Servius, putabimusne ignorasse, quid verbum *exspergere* significet? Praepositio *e*, *ex*, ut nostrum *aus*, in aliquammultis compositis indicat, quod ita fit, ut non multum aut nihil desit ad consummandum effectum, ut in *emollire*, *enecare*, *evincere*, *excolere*, *expolire*, *exornare*, *excruciare*, *excauere*, *exarescere*, *exsiccare*, *exsatiare*, *exurere*. Itaque *exspergere limen* est ita conspergere, ut totum madeat limen;

hoc, ut vidit vetus ille grammaticus, convenit verbo *natare*, non *adspersa*. Donec igitur exstiterit, qui meliora me edoceat, retinebo *exspersa*.

Aen. 3, 627. *vidi cum* ... tepidi *tremerent sub dentibus artus*. *trepidi* e Mediceo revocavit Ladewigius; sed h. l. magis propugnanda mihi est Medicei auctoritas, quam impugnanda; nam litera *r* in eo codice puncto notata est ut delenda. Mirabere mecum, Anthoni, id placere potuisse docto homini, nec placuit Hauptio. Graecos poetas imitatum ita scripsisse Vergilium ait Ladewigius. Vellem attulisset ex his aliquod consimile exemplum. Quod donec allatum fuerit, abstinebo reliqua disputatione. „At, ait Ladewigius, qui potuit Achemenides videre artus esse tepidos"? Verum est sane teporem quidem non posse oculis cerni; at quid cogit nos illud *vidi* ad teporem referre, quod poeta rettulit ad verbum *tremerent*? *tepidi* autem, quod etiam Hauptius servavit, adiectum est, quo intelligeretur, quare tremerent artus, scilicet quia etiamtum tepidi necdum omni vi vitali destituti erant.

Aen. 3, 652. *Omnia collustrans hanc primum ad litora classem*
Conspexi *venientem*.

Prospexi e Mediceo receperunt Paldamus et Ladewigius; Hauptius edidit, quod ego, *Conspexi*. Non ita multum me movet, quod, ut admonuerunt Heinsius et Heynius, vs. 648 legitur *Prospicio*, quamquam id quoque in dubia causa aliquantulum ponderis habet. Sed ut retineam *Conspexi*, suadent verba *Omnia collustrans*; quod qui facit, videre, conspicere aliquid cupit; quod e longinquo adlabentem classem vidit, i. e. prospexit, nihil hic pertinet ad rem, satis est conspectam esse.

Aen. 3. 684—86.

[*Contra iussa monent Heleni, Scyllam atque Charybdim*
Inter, utramque viam leti discrimine parvo,
Ni teneant cursus; certum est dare lintea retro].

Uncos, quibus haec inclusi, dempsit Ladewigius, dempsit etiam Hauptius. Non dubito equidem summam disputationis in Varr. Lectt. a me institutae etiamnunc sustinere, ad eamque remitto legentes. Sed cum, quid Hauptius de his verbis sentiat, incertum sit, libet pauca contra Ladewigii sententiam proferre. Is totus versatur in interpretatione. Verba *Contra iussa monent Heleni* Ladewigius ita accipienda esse ait, ut Aeneam praecepta

Heleni sociis in memoriam revocare putemus, scilicet quo ista *certum* . . . *retro* ita intelligi possint, quomodo intelligi vult Ladewigius: „pervicaciter socii retro dant vela". Sed ista universe dicta non aliter nisi universe dicta accipi possunt; quod si poeta hoc, quod vult Ladewigius, subindicare voluit, peccavit, quia ea verba non sunt ita comparata, ut id subintelligi recte possit. Tum vitiosum est illud, quippe nimis ambiguum, *certum est dare lintea retro*, quae verba non facile apparet significentne id, quod putat Ladewigius, „stat dare lintea retro", an „dubitari non potest quin" *cet.* Sed haec leviora sunt. Nunc Tu mihi considera, Anthoni, praeceptum ipsum Heleni, quod simplicissimis verbis continetur vs. 413: „dextrum fuge litus et undas". Qui tandem convenit, testor elegantiam Tui ingenii, in sola commemoratione eius praecepti rem tam simplicem onerare talium ambagum ineptiis tamque inani verborum strepitu! Denique consideres velim omnem orationis tenorem inde a vs. 666: „Nos fugam celerare", 668 „Verrimus", 677 „Cernimus". Quinam sunt igitur, quos vs. 682 „praecipites metus acer agit"? sine dubio non alii, quam qui ante commemorati sunt, Nos. At repente aberrat a proposito oratio ad verba „ni teneant cursus". Socios significat poeta, ait Ladewigius; ego non poetam, sed imperitum aliquem versificatorem id facere existimaverim. Nulla facta est in omni illa narratione mentio peculiaris sociorum, quae, si illi contra voluntatem ducis fecissent, nullo modo fuit omittenda. Fatebere ergo mecum, Anthoni, si tot tantaeque res concurrant, quae fraudem coarguant, nihil restare, nisi ut fraudem factam agnoscas aut versus istos incredibilem in modum corruptos esse statuas. Illud vix est quod addam, (etsi id quoque in eiusmodi re vim argumenti habet) detractis his versibus nihil desiderari ad ipsius narrationis integritatem. Quidquid temptatum est ab interpretibus ad enucleandam sententiam horum versuum, nihil inventum est, quod dignum sit Vergiliana simplicitate atque elegantia. Novo modo rem expedire conatus est Haeckermannus in Mützelii *zeitschrift für das gymnasialwesen* 1853, pag. 88 sq. Sed quae ibi scripsit vir doctissimus, ea, ut multa ab aliis grammaticis variis de rebus ad Vergilium spectantibus disputata, fortasse alio tempore locoque excutere licebit.

Aen. 3, 690 sq. [*Talia monstrabat relegens errata retrorsus*
Litora Achemenides, comes infelicis Ulixi.]

Hos quoque versus abiudicavi a Vergilio. Dissentiunt a me Iahnius Ladewigius, Hauptius. Contra Peerlkampius ad vs. 690: „Hunc et sequentem versum non esse Vergilii, Wagnerus ita demonstrasse videtur, ut nihil supersit, quod addam. Dudum in eadem opinione fui." Unum addo ad ea, quae olim sunt a me disputata. Si poeta necesse existimavit dicere, unde ea nomina cognorit Aeneas, iure quaeres, unde putet ea Achemenidem noscere potuisse? „Cognovit ea, inquit Ladewigius, cum istas oras legeret cum Ulixe," et sane haec fuit opinio eius, qui hos versus interposuit; at unde novit Ulixes? Laudo poetam, quod 6, 777, commemoratis ab Anchisa Gabiis, Nomento, Fidenis, *cet.*, haec addit: „Haec tum nomina erunt, nunc sunt sine nomine terrae". Nempe ea oppida, ut in media Italia sita nec ita longe a Roma distantia, nota erant Romanis omnibus, notae etiam origines eorum. Itaque recte fecisse poeta videri debet, quod cavit, ne videretur eorum primordia ad istam vetustatem reiecisse. At nihil opus fuit tali cautione in commemorandis Graecorum urbibus, et facile etiam ab eruditioribus inter populares suos lectoribus et huius rei et multarum praeterea, in quibus prolepseos iure uti sibi licere putavit, veniam sperare potuit. Quid, quod ridiculum his videri debuit, si adeo ineptos se existimasset poeta, ut additis versibus 690—91 suae curiositati satisfactum esse putarent. Aut si hoc loco arbitratus est haec adiicienda esse ad fidem rei per se incredibili faciendam, cur, ut hoc unum afferam, omisit eandem, si diis placet, diligentiam supra, vs. 553, ubi Caulonem et Scylaceum Aeneas se praeternavigasse refert?

Aen. 3, 702. [*Inmanisque Gela fluvii cognomine dicta.*] Huic quoque versui Ladewigius, ut ante Lachmannus, detraxit uncos in minore editione a me additos, item Hauptius. Alteram syllabam nominis *Gela* recte ac ratione productam esse ait Lachmannus ad Lucret. 6, 971, alterumque eius rei exemplum e Vergilio affert G. 4, 343 „Atque *Ephyra* atque Opis et Asia Deiopea"; sic ibi unus Mediceus, ceteri *Ephyre*. At primum non est credibile Silium *Gelă* correpte dicturum fuisse, si scisset a Vergilio producte pronuntiatum; tum illud quoque vix potest dubitari, quin Vergilius, ut fecit in aliis, item in Ephyrae nomine Ionica forma usus sit. Nec Hauptius a se impetravit, ut ederet *Ephyra*, quod quidem facile nasci potuit ex principio subiectae copulae. Rectius igitur, opinor, statuerit, qui dixerit Vergilium

nominativo Graecorum nominum feminini generis in longam *a* exeuntium abstinuisse. Idem numquam in genetivo substantivorum secundae declinationis geminavit literam *i*, ut hoc loco factum in *fluvii*; cf. infra 9, 150. Atque illud certe fatendum est, ubi duplex, eaque utraque gravis, dubitatio in eundem versum cadat, magnam iustamque exsistere *νοθείας* suspitionem. Ex iis appellativis, quae tribus brevibus syllabis constant, paucissima sunt, quorum genetivi bisyllabi inveniantur, ut *viti*, *preti*, sed ex eo haud recte coniicias ceterorum genetivos Vergilii aetate aut iam ante Vergilium tribus syllabis pronuntiari consuesse; verius, puto, existimaveris Romanos ab usu plerorumque vulgo abhorruisse; *studii* quidem et *spatii* apud Ciceronem, si recte memini, nemo criticorum sollicitavit; *spaci* (*spati*) tamen memini ex optimis libris Plinio restitutum esse a Silligio meo, sed non constanter.

Aen. 4, 98.

Sed quis erit modus? aut quo nunc certamina tanta?

certamine tanto Jahnius et Ladewigius revocarunt; vellem etiam probassent ita loqui Latinos, de quo dubitabit vel qui viderit, quam misere se torqueat Servius in interpretando eo ablativo; contra *quo certamina tanta* Latine dici nemo negavit. Hauptius rediit ad id, quod coniectura assecutus est Heinsius, *certamina tanta*, quod ego quoque cum Heynio amplectendum censui. At alienum hoc, ait Jahnius, a totius loci sententia „cui bono sunt certamina, quid prosunt certamina tanta." In quo certe illud falsum est *cui bono sunt*, quod significat *cui prosunt*, non *quid prosunt*; sed id quidem quaerere nihil hic attinebat. Verum ne hoc quidem dicit poeta: „quid prosunt certamina tanta," nec omnino est in coniectura Heinsii, quod contrarium sit sententiae reliquae. En mentem poetae: quando denique desinemus inter nos certare? (*quis erit modus?*) aut quo (qua causa) nunc tantum certamus sive quid exercemus (quod verbum erit fortasse qui poetam e vs. 100 mente iam praecipere statuat) tanta, quanta ad hunc diem exercuimus, certamina nunc, eo maxime tempore, quo habes, tota quod mente petisti? In his quid non congruat inter se, equidem non video.

Aen. 4, 256—258. *Haud aliter terras inter caelumque volabat*
Litus arenosum ad Libyae ventosque secabat
Materno veniens ab avo Cyllenia proles.

Eiiciendos censui hos versiculos rationesque eius iudicii explicavi

in Varr. Lectt., retinent eosdem Jahnius, Ladewigius, Hauptius, qui quidem pervelim scire quibus rationibus ductus Vergilianos esse sibi persuaserit. Quae ex eo tempore, quo Vergilium primum edidi, prolata sunt ad ea, quae scripseram, refutanda, mihi quidem parum valida visa sunt. Nunc satis habeo mirum commentum Jahnii a Ladewigio probatum refellere. Nam cum illa verba *inter caelum terrasque* ineptissima esse mihi videri dixissem, quoniam Mercurius volet inter caelum ac mare, id quod e verbis *se misit ad undas* planissime intelligitur, Jahnius ait ista *inter caelum terrasque volare* proverbialis locutionis speciem habere; sed naturam eius proverbii explicare supersedit, nec video, quomodo explicari possit; et si adeo possit, tamen hoc est, quod dicunt dialectici a posse ad esse conclusionem facere.

Aen. 4, 273.

272. *Si te nulla movet tantarum gloria rerum,*
Nec super ipse tua moliris laude laborem,
Ascanium surgentem . . . respice.

Expungit Ladewigius versum 273, desideratum in Mediceo aliisque codd.; fecit idem Hauptius; non recte meo quidem iudicio; nam cum quinque integris versibus (232—236) conclusa sint mandata Jovis, velis ea totidem comprehendi a nuntio secundum exemplum Homeri. Accedit, quod versus 273, quo quis fortasse aequo animo caruerit tamquam a superiore, si sententiam spectes, haud multum diverso,. minime supervacaneus videri debet, quippe qui acerrimum admoveat stimulum ad instigandum Aeneam. Nam istis verbis *Si te nulla movet tantarum gloria rerum* attinguntur res deorum benignitate Aeneae promissae (cf. vs. 227—231), at versus subiectus „*Nec . . . laborem*" segnitiem exprobrat Aeneae, quae res plurimum debet valere apud fortem animam. Vides igitur, Anthoni, omisso hoc versu partem mandati omitti gravissimam et haud scio an necessariam. Ceterum si forte quaeris, quo casu videatur hic versiculus excidisse, nihil facilius fieri potuit; quid enim mirum, si librarii memoriter haec, quippe modo lecta, exarantes nec exemplum, unde describebant, inspicientes unum versum omiserint?

Aen. 4, 408. *Quis tibi* tum, *Dido*, *cernenti talia sensus,*
Quosve dabas gemitus, cum litora fervere late
Prospiceres etc.

tunc Ladewigius, Jahnium secutus, quem tamen alibi non monito

lectore deseruit; *tum* Hauptius, quod ego reposueram. Nolo nunc illam de formis *tum* et *tunc* litem denuo excutere. Vides hoc loco ista breviter et infinite dicta *Quis tibi . . . sensus* a poeta deinde more suo amplificari versibus subsequentibus, in quibus quod legimus *quos dabas gemitus, cum* cet., respondet verbis *tum cernenti talia*, i. e. tum cum cernebas talia; ut autem illa certe aetate Romani videntur *tum . . cum* dixisse, non *tunc . . cum*, (nam etiam apud Ciceronem ubi *tunc . . cum* olim lectitabatur, nunc fere *tum* editur) ita hoc loco *tum cernenti* Vergilium scripsisse probabile est. Sed non opus est multis, neque enim video, quare ab eo nunc discedam, quod olim contendi Quaest. Vergil. XXV *tunc* a Vergilio non poni nisi ante vocales; idem asseverat Lachmannus ad Lucret. 1, 130 „*Tunc* ante consonantem contra poetarum antiquiorum usum. [1])" Denique fac Vergilium scripsisse *Quis tibi tunc sensus*, nonne parum apte scripsisse videretur? *tunc* enim, i. e. hoc maxime tempore sive tum maxime, iuberet nos de excerpto quasi ex reliquo tempore momento cogitare; excludit enim cetera tempora non in eo puncto posita; itaque nos ad temporis certi cogitationem potissimum avocaret, id quod abhorret ab hoc loco, ubi toti sumus in hac cogitatione: Quis tibi sensus cernenti talia! *tum* adiectum est, quo quasi leviter praemonstretur illud *cernenti talia*; similiter 10, 533 „iam tum Pallante perempto," ubi in nullo codice est *tunc*.

Aen. 4, 640. *Dardaniique rogum capitis permittere* flammae. *flammis* ex uno Mediceo Ladewigius et Hauptius; non puto duos deinceps versus copula inter se iunctos, nisi certa ratio id suadeat, tam aequaliter exire passum esse Vergilium:

inponere curis
permittere flammis.

Itaque nondum possum a me impetrare, ut *flammae* reiiciam.

Aen. 4, 641. *Illa gradum studio celerabat* anilem. *anili* Ladewigius, quam non conveniens epicae gravitati, praesertim in hoc rerum statu! comicum est et ridiculum tale studium spectantibus revocansque in animum Terentianum illud: „move vero ocius te, nutrix. — Moveo. — Video, set nil promoves." Hauptius retinuit *anilem*.

13) Quid, quod Cicero fortasse numquam scripsit *tunc*; raro apud eum legi ait Orellius ad Brut. 8, 33; quid, si etiam iis locis, ubi etiamnunc legitur, illatum est a librariis consuetudini posterioris aetatis addictis?

Aen. 4, 662. *et* nostrae secum *ferat omina mortis.*
secum nostrae Ladewigius eo ordine, qui est in uno Mediceo apud Fogginium, nam silet Heinsius. Equidem vulgatum ordinem *nostrae secum* retinendum putavi, retinuit etiam Hauptius, flagitante sententia; nam quamquam illud *secum* necessarium est ad rem, quia *ferat omina* quid sit non addito *secum*, obscurum est, tamen nulla est in ea voce vis, at est in *nostrae*, non quod ipsius mors distinguatur ab alterius nescio cuius morte, sed quia *nostrae* coniunctum est cum vocabulo vi quadam praedito, *mortis* dico, quo *nostrae* in principio enuntiati collocatum attentionem legentis statim convertit. Aliud est, quod legitur 4, 598 „Quem *secum patrios* aiunt portare Penatis," ubi adiectivum *patrios* necessarium quidem est, sed nulla peculiari vi praeditum; at *secum* priorem sedem propterea sibi vindicat, quod Aeneas secum habuisse dicitur, quod eum vel maxime admonere fidei servandae deberet.

Aen. 5, 281. *Vela facit tamen et* velis *subit ostia* plenis.
plenis subit ostia velis Ladewigius et Hauptius e Mediceo; mutati ordinis verborum in Mediceo causa videtur fuisse recordatio 1, 400 „*pleno subit ostia velo;*" et qui hos versus inter se comparaverit, diversam iis verborum collocationem aptam esse sentiet, epanalepsim a 5, 281 alienam.

Aen. 5, 581. *atque agmina terni*
Diductis *solvere choris.*
deductis cum Mediceo aliisque Jahnius et Ladewigius; *diductis* Hauptius cum superioribus editoribus, quam lectionem veram esse verbum *solvere* prope clamare videtur; nam totum quod solvitur in partes, diducitur.

Aen. 6, 553.
552. *Porta adversa, ingens, solidoque adamante columnae,*
Vis ut nulla virum, non ipsi exscindere ferro
Caelicolae valeant; *stat ferrea turris ad auras* etc.

exscindere ferro, sic ego cum superioribus editoribus, quibus nunc accedit auctoritas Hauptii. Ladewigius ex Rom. et fr. Vatic. revocavit *exscindere bello*, i. e. armis, idque ipse nunc amplector non tam motus causa a Ladewigio allata, quam quod proximo versu redit *ferrea.* Atque etsi ipse aliquoties in Varr. Lectt. non mutandum censui vocabulum idem brevi intervallo repetitum, tamen talis repetitionis exemplum, quale hoc est, *férro . . . férrea*, (nam ex alio genere sunt, quae leguntur alibi, ut 7, 653

sq. „dignus, patriis qui laetior *esset* Inperiis et cui pater haud Mezentius *esset*") non memini praeterea exstare in carminibus Vergilii; nec, si *ferro* legas, bis, sed ter ferrum ternis versibus se excipientibus commemoratur; nam vs. 552 quae sunt solido adamante columnae, item sunt ferreae, nec recte cum his composueris 4, 138 sq. „Cui pharetra ex auro; crines nodantur in aurum; Aurea purpuream subnectit fibula vestem."

Aen. 7, 95. subita *ex alto vox reddita luco est.* *subito* Ladewigius et Hauptius, et sic Mediceus cum aliis quibusdam libris. Hinc quoque apparere arbitror, quantopere fallantur, qui religioni habent a vestigiis praestantissimi huius codicis discedere. Ubicumque enim pro adverbio *subito* adiectivum recte poni potuit, maluit Vergilius adiectivo uti; et quis est, qui id hoc loco poni potuisse neget? Ter, si bene memini, adiectivo abstinuit, ubi, si verba sola per se spectes, non rationem verborum, adiectivo concedi locus posse videatur; 5, 790 „Quam molem subito excierit;" nempe id ibi refert, quantam, non quam subitam excierit. 7, 144 „Diditur hic subito Troiana per agmina rumor;" scilicet non rumor aliqui exstitit subitus; qui enim potuit, cum pertineat ad rem ostento ante declaratam; sed fama eius rei precrebruit subito. 8, 637 „subitoque novum consurgere bellum"; ubi, ut taceam alia, si scripsisset poeta subitum bellum, quis non videt non adiectivum *novum.* (i. e. in suo genere singulare, soceris et generis inter se concurrentibus) plurimum, ut debet, ponderis habere, sed *subitum?*

Aen. 7, 182. Martiaque *ob patriam pugnando volnera passi.* *Martia qui* Jahnius et Ladewigius; Hauptius *Martiaque*, ut ego, quamquam *Martia qui* est in Mediceo multisque praeterea. Rarissime pronomen *qui*, *quem*, *quam* et neutrum *quae* a Vergilio eliditur; *quo*, *qua* et pluralis *qui*, item femininum singularis numeri *quae*, nusquam; nam *quae una* G. 2, 535 in editis tantum quibusdam legitur. Certa, quae exstant, exempla elisi huius pronominis hanc legem sequuntur, ut elisio fiat ante composita: G. 1, 201 *qui adverso*, A. 1,388 *qui adveneris*, 2, 663 *qui obtruncat*, 7, 226 *si quem extenta*, 11, 308 *si quam adscitis*, 12, 674 *quam eduxerat*, 5, 274 *quem obliquum*, G. 3, 265 *quae inbelles.* Nec dubito, quin eius rei probabilis ratio fuerit. Quae elisiones non ante praepositiones aut ante praepositiones non compositas factae sunt, eae vel dubiae sunt, vel in eiusmodi versibus admissae, quos

videtur poeta, si licuisset, emendaturus fuisse. Dudum sublatum est codicum auctoritate, quod editiones quaedam offerunt, vitium A. 2, 342 „Mygdonides, *qui* illis ad Troiam forte diebus venerat." G. 1, 383, qui versus sine dubio male affectus est, legitur „et *quae* Asia circum," ubi in Mediceo est *atque Asia*, poeta *quaeque* videtur scripsisse. A. 1, 322 perineleganter „si *quam hic* errrantem," ubi nescio an poeta scripserit *si quam palantem*. A. 1, 109 „mediis *quae* in fluctibus," versus a multis reiectus tamquam non Vergilianus, et certe, si est Vergilii, *quae* videtur eiiciendum; in Mediceo est *mediisque*. 1, 378 „raptos *qui* ex hoste," ubi *qui* non comparet in Moret. pr. et Heynius, cuius iudicio adstipulor, melius omitti censet. 10, 334 „steterunt *quae* in corpore," ubi *quae* in *que* convertit Mediceus, idque mutata interpunctione praeferas. Unum, qui emendationem non recipit, versum 10, 117 „caelicolae medium *quem* ad limina ducunt" aut inter emendandos reliquisse Vergilius videtur, aut aliquid ex horridiore antiquitate consulto retinuisse, quo pompam talis deductionis insigniorem faceret. Quae cum ita sint, retineo, quod edidi *Martiaque ob patriam*. — Ceterum *quă* crebro eliditur, ut A. 2, 142. 536. 3, 406. 433. 7, 4. 9, 41, 214, 407, 741 et saepius.

Aen. 7, 412. *magnum* tenet *Ardea nomen*.

manet Ladewigius, quod vix dubium est, ut dixi in Varr. Lectt., quin ortum sit ex praegressae vocis *magnum* priore syllaba; et habet pingue quiddam talis compositio *magnum manet* nec, ut mihi quidem videtur, Vergilianis auribus dignum; quare retineo alteram lectionem Medicei *tenet*; idem fecit Hauptius.

Aen. 7, 528. *Fluctus uti primo coepit cum albescere* vento,
Paulatim sese tollit mare.

ponto Ladewigius cum Jahnio. Servavit Hauptius, quod ego et superiores editores probavimus, *vento*; idque adhuc probo, nec satis commode iniici videtur maris mentio proximo versu, si scripseris *ponto*.

Aen. 8, 391. Non *secus*, *atque olim* etc.

Nolui, quod fecit Ladewigius, ex uno Mediceo revocare *Haud*, natum illud ex recordatione similium compositionum. Et *haud* cum neget subiective, ut nostri philosophi loquuntur, *non* obiective, *gerade so*, nescio an alienum sit ab hoc loco *haud*, *eben in solcher Weise*; *Non* edidit etiam Hauptius.

Aen. 9, 21. Sequor *omina tanta.*

Sequar Ladewigius, *Sequor*, quod ego probavi, probat etiam Hauptius. *Sequar* si dixisset Turnus, id se aliquando facturum significaret; nunc id, quod Iris iussit, statim exsequitur; atque hoc per Praesens *sequor* quodammodo praecipit.

Aen. 9, 150 sq. *Tenebras et inertia furta*
[Palladii caesis summae custodibus arcis]
Ne timeant, nec equi caeca condemur in alvo.

Negat Lachmannus ad Lucret. 5, 1006 eripiendum esse Vergilio illud *Palladii*, formam scilicet solam vocabuli considerans, non sententiam habitumque huius orationis; nec eripi passus est Ladewigius. Recte Hauptius quoque hunc versum, ut indignum Vergilio, uncis inclusit. Id refert, quid fortase timere Troiani possint? Poterant autem timere tenebras et inertia furta, non poterant timere raptum aliquem Palladii caedemve custodum arcis; nec Palladium erat nec arx in castris Troianorum. Cum contemptu a Turno commemorari ait Ladewigius ea, quae vafre fecerint Graeci ad capiendam Troiam. Audirem fortasse, si quid simile cogitari posset, cuius utendi Turno, si voluisset, facultas fuisset. Nunc ego nihil hic video nisi verborum vanitatem, ingenio Turni indignam. Totus eius animus versus est ad oppugnanda propediem castra; a qua re aliena est commemoratio eiusmodi artium, quales in bello diu tracto locum habent. Tum vide mihi, Anthoni, elumbe illud additamentum *caesis summae custodibus arcis*, quasi hoc ad summam rem quidquam ponderis hoc loco haberet. Unde effictus aut potius translatus sit hic versus, dudum animadversum est a criticis; nec causa fraudis obscura est. Cum enim quaereret aliquis, quae essent ea furta, facile in memoriam Palladii rapti, ab ipso poeta alio loco commemorati redire potuit. At illae tenebrae, illa furta quae sint, ipse indicat poeta, noctem illam Troiae supremam equumque ligneum in urbem tractum significans; quod ut facilius appareat, semicolon, quod posueram post *timeant*, commutavi cum commate. Sic expugnatio Troiae cum expugnatione castrorum comparatur. Ergo, quod ego aliique diximus Vergilium forma ista genetivi abstinuisse, ne hoc quidem loco refellitur. De uno, quod restat, exemplo vide quae scripsimus ad III, 702.

Aen. 9, 226. *Ductores Teucrum primi*, *delecta iuventus.*

et delecta i. ediderunt Paldamus, Ladewigius, Hauptius. Recte,

opinor; nam, id quod vidit Ladewigius, de eodem concilio accipi prope necesse est, quae leguntur vs. 309 „Primorum manus . . ., iuvenumque senumque." Et ad consilia militaria a ducibus etiam primos, interdum omnes, centuriones, equites etiam, adhibitos esse more Romano, qualis post fuit cuiusque originem, ut multarum rerum aliarum, ad priscam illam aetatem revocasse videtur poeta, satis constat; vid. Lips. de Milit. Rom. 2, 8. Tom. III. p. 84 edit Vesal., qui non neglexit haec ipsa Vergiliana et „de equitibus aliquid indicasse" poetam suspicatur.

Aen. 9, 274. *Insuper* is *campi* etc.

Ita Mediceus, idque repetierunt Ladewigius et Hauptius. In nota Ladewigius „*is*, ait, sc. genitor dabit"; quod ferrem fortasse, si distingueretur Aeneas ab alio; nunc prorsus otiosum et inutile est id pronomen. Sed quid, si pro *iis* accipiatur? At Vergilius hoc casu huius pronominis abstinuit, neque *eius*, nec *ei*, nec *ii*, nec *iis* vel *is*, nec *eorum* apud eum legitur. Itaque retinendum iudico, quod vulgo editum est, *his;* vid. Hand. Tursell. 3, p. 386.

Aen. 9, 400. *an sese medios moriturus in* enses
Inferat.

in hostis Ladewigius et Hauptius; ego retineo *enses*, quae et ipsa antiqua est lectio, nota Servio; et unde *enses* huc inferri potuerit, dici non potest; at *hostes* valde probabile est ab iis invectum esse, quibus in memoria resideret idem hemistichium 2, 511 lectum. Praeterea etiam ex interpretamento nasci potuit *hostis;* nam quaeri poterat, quinam essent ii enses? nempe *hostium*.

Aen. 9, 418. it *hasta*.

Sic ediderunt Ladewigius et Hauptius; de quo dictum est Cap. I. ad 2, 497.

Aen. 9, 485. *canibus* date *praeda Latinis.*

data praeda Mediceus; idque restituerunt Ladewigius et Hauptius. Equidem nondum potui mihi persuadere pravam esse lectionem bonorum quorundam librorum *date*. Nemini facile in mentem venerit *date* cum *data* commutare; contra maxime proclive erat *date* in *data* convertere; quo accedit, quod in eadem superioris versus sede *data* praecessit, quo facillime mens oculique aberrare potuerunt. Certe, cum multis locis sine vitio repetitae sint paulo ante lectae eaedem verborum formae, hic, ubi id fit praeter rationem, vitiosa ea res haberi debet.

Aen. 9, 526. *tunc* e Mediceo restituit Ladewigius, Jahnio

obtemperans; *tum*, quod ego edidi, retinuit Hauptius; vid. quae scripsimus ad 4, 408.

Aen. 10, 584 sq. *Sed non et Troius heros*
Dicta parat *contra; iaculum nam torquet in hostem.
Apposui asteriscos verbis languentibus et supervacaneis *contra* ... *hostem;* detraxerunt eos Ladewigius et Hauptius. Mihi etiamnunc videtur particula *nam* interpolatoris manum prodere.

Aen. 10, 714—18. Quod aliquoties feci in mea editione, ut, quae in Heyniana recensione carminum Vergilianorum facile ferri probarive possent, intacta relinquerem, feci etiam hoc loco. Retinui hos versus eo ordine collocatos, quo collocandi visi sunt cum aliis doctissimis viris, tum Heynio. Nec discesserunt ab ea ratione Jahnius atque Hauptius. Ladewigius restituit ordinem, qualem exhibent libri mss.; sed ita manet difficultas, quae est in verbis *tergo decutit hastas.* Non essent silentio praetermittendae imitationes Lucani 6, 208—10 et Statii Theb. 2, 588, si non ita essent comparatae, nihil ut prosint ad hanc litem dirimendam.

Aen. 10, 824. *Et mentem patriae* subiit *pietatis imago.*
strinxit Ladewigius et Hauptius; ego *subiit* teneo; *strinxit*, utalia aliis locis, debetur librariis versum 9, 294 memoria tenentibus.

Aen. 10, 881. *Desine:* iam *venio moriturus.*
nam ex potioribus codd. restituerunt Ladewigius et Hauptius. Mihi quidem etiamnunc persuasum est id *nam* originem debere extremae syllabae praegressi verbi *Desine;* et cum, quae sequuntur *iam venio moriturus*, per se continere causam possint, quare desinere Aeneam Mezentius iubet, omitti *nam* satius erat ex more poetarum; nec mirabor, si cui ea particula hic *παρέλκειν* videatur. Ac facilius tulerim hoc *nam*, nisi superiore versu haec legerentur: „Nec mortem horremus", quae et ipsa significant eum paratum esse mori. Aptissimum autem huic orationi *iam*; nam cum modo universe et tempore non notato dixisset se eum esse, qui mortem non horreret, nunc dicit se iam (eo, quo haec loquitur, tempore) ad oppetendam mortem venire. Ceterum in simili versu 9, 291, quo vitaretur *nam*, Vergilius hiare maluit orationem: „Hanc sine me spem ferre tui: audentior ibo In casus omnis."

Aen. 11, 145. *Contra turba Phrygum veniens plangentia* iungit
Agmina.
iungunt e Mediceo aliisque libris revocavit Ladewigius, quod unde ortum sit, conatus sum ostendere Quaest. Vergil. VIII, 2, a et

4, c, nec praeterea vocabulum *turba* apud Vergilium, etsi eo satis crebro usus est, cum plurali numero verbi iungitur. Nec Thielius, quem tamquam auctorem revocati pluralis laudat Ladewigius, etsi apud eum est *iungunt*, verbum fecit, quo probaret hanc lectionem, quam aspernatus est etiam Hauptius.

Aen. 11, 193. Hinc *alii spolia occisis derepta Latinis*
Coniiciunt igni.

Hinc, quod mihi sententiae ratio requirere videbatur, servatum ab Hauptio, Ladewigius commutavit cum *Hic*, quae est lectio Medicei. Cederem ipse huius codicis auctoritati, si mihi satisfaceret explicatio a Ladewigio proposita, qui animum poetae, ante totum in imagine rerum modo expositarum occupatum, nunc repente nova imagine sub obtutum cadente percussum particula *Hic* significari ait. At quae tandem res ita afficere animum poetae potuit? quod spolia Latinis derepta in rogum coniecerunt? id vero nec novum fuisse poeta prodit, nec est omnino tale, quod animum vehementius movere potuisse videatur.

Aen. 11, 236. *Olli convenere*, fluuntque *ad regia plenis*
Tecta viis.

ruunt Mediceus cum paucis, quod revocarunt Ladewigius et Hauptius; ego cum superioribus editoribus *fluunt* edidi. Negaram in Varr. Lectt. verbum *ruere* satis convenire gravitati principum virorum; Ladewigius tantam ait fuisse agitationem animorum, ut festinatione illi utantur parum decora; erit igitur poeta culpandus, quod decoris oblitos fecit. Quod exputare non possum, quid Hauptio causae fuerit mutandae pristinae lectionis, succenseo meae vel ingenii vel doctrinae mediocritati. Verum tamen velim consideres mecum, optime Anthoni, colorem huius versus. Primum illud *Olli* constat in placida oratione poni, tum quid est sedatius his numeris *Olli convenere*, quid tardius ipso verbo *cōnvĕnēre*? talia apud Vergilium locum non habent, nisi in tranquillis rebus; at vide, quam haec sola conveniant dignitati istius concilii, quam contra abhorreat ab ea re verbum *ruunt*, nimiae et Romanorum iudicio prope servilis festinationis indicium; at *fluunt* praeterquam quod nihil habet, quod offendat, aptum est et magno concilio, quale vs. 234 dicitur, et plenis viis, per quas confluunt. Denique causam corrumpendae lectionis in Varr. Lectt. monstravi.

Aen. 11, 882. *Moenibus in patriis atque* inter *tuta domorum Confixi.*

intra e Mediceo aliisque libris receperunt Ladewigius et Hauptius; ego teneo, quod est in Vaticano, *inter.* Ladewigius, Thielio assensus, etiam in ipsis domibus confixos esse ait; quod quomodo fieri potuerit, non video; nam equestre proelium fuit, verique dissimillimum est Troianos equites equis relictis domos intrasse.

Aen. 12, 24. *Latio et Laurentibus* agris.

arvis Ladewigius et Hauptius revocarunt ex uno prope Mediceo. Mihi quidem retinenda videtur lectio *agris*, donec probatum fuerit recte dici „Sunt aliae innuptae Laurentibus arvis." Agri notio complectitur etiam habitationem hominum, non item arvi; et quod legitur 3, 550 „Graiugenumque domos suspectaque linquimus arva," arva sunt litora, ut 2, 209 de draconibus Laocoontem petentibus „Fit sonitus spumante salo, iamque arva tenebant." Sed meliora me edoceri facile sinam, modo ne afferantur talia, quale est *arva Pelopeia*; *Tirynthia*, et quae his sunt similia.

Aen. 12, 176. *stricto sic ense precatur*:

Esto nunc Sol testis et haec mihi Terra vocanti.

precanti revocavit Ladewigius; quod unde oriri potuerit, sponte apparet; *vocanti* unde illatum sit, dici non potest; itaque hanc lectionem pro genuina habebimus, habetque ea satis bonos libros auctores; adstipulatur mihi Hauptius. Quod in Varr. Lectt. Servium inter patronos reiectae lectionis numeravi, id errori fortasse propius est, quam veritati.

Aen. 12, 178. *Et pater omnipotens*, *et tu Saturnia* coniunx.

Sat. Juno restituit Ladewigius; sed pertinet huc idem, quod modo scripsi ad vs. 176; unde *Juno* invectum sit, dubitari non potest, unde *coniunx* adscitum, nemo dixerit. Accedit, quod apparet, quare hoc potissimum loco Saturniam coniugem, non Saturniam Junonem poeta appellaverit. Ceteris enim locis, ubi Saturnia Juno appellatur, significatur dea illa superciliosa aut imperiosa, qualis fere esse solet; hic, ubi mitigatam sibi esse vult Aeneas, miti coniugis Saturniae nomine scite appellat, idemque eo commendatur, quod Jovem invocat Patrem omnipotentem. Ob easdem fortasse causas Hauptius quoque *coniunx* retinuit.

Aen. 12, 287 sq. *Infrenant alii currus*, aut *corpora saltu Subiiciunt in equos et strictis ensibus* adsunt.

Sic ego, ut superiores editores, edidi; contra Ladewigius et Hauptius:

Infrenant alii currus et *corpora saltu*
Subiiciunt in equos et strictis ensibus adstant.

et vs. 287 in uno Mediceo legitur, quod e proximo versu adscitum videri scripsi in Varr. Lectt., quemadmodum *aut* (vs. 288), quod item in uno Gudiano a m. pr. exstat, ex superiore. Versus quidem 283 quartique verba „it toto turbida caelo Tempestas telorum ac ferreus ingruit imber" ad pedites pertinere probant ea, quae subsequuntur „Craterasque focosque ferunt," quae verba perperam interpretatus sum in Varr. Lectt.; iam sequuntur, qui e curribus pugnant, iique significantur vs. 287 „Infrenant alii currus"; restant equites, qui, ut numero his longe plures, minime erant praetereundi; hi, ut facilius distinguantur ab illis, qui proximo loco commemorati sunt, separantur ab his particula *aut*, praetereaque cum strictis ensibus adsunt, qui melius conveniunt equitibus, quam παραβάταις, qui, dum stant in curribus, iaculis maxime rem gerunt; denique, si verba *Infrenant* et *Subiiciunt* ad unum pertinent subiectum parum recte geminatur *et* („*et* corpora s. S. i. equos *et* str. ens. ads."), ubi exspectes *strictisque*. Hae rationes, ut satis multae, ita satis potentes, persuadent, ut retineam, quod edidi. Sed quaeritur, habeatne locum in eiusmodi partitione particula *aut*? Tacet de ea re Handius in Tursellino, at loquitur ipse Vergilius: 7, 634 „Tegmina tuta cavant capitum, flectuntque salignas Umbonum cratis; alii thoracas aenos Aut levis ocreas lento ducunt argento"; atque etiam clarius 11, 473 „Praefodiunt alii portas, aut saxa sudesque Subvectant"; et geminato *aut* 9, 684 sqq. „Continuo Quercens . . . et Aquicolus . . Et Marus . . et Haemon Agminibus totis aut versi terga dedere, Aut ipso portae posuere in limine vitam," et 12, 329 sq. „Semineces volvit multos, aut agmina curru Proterit, aut raptas fugientibus ingerit hastas," alios volvit semineces, alios curru proterit, aliis ingerit hastas fugientibus [14]). Quod si vera sunt, ut puto, quae modo disputavi, simul intelligitur, quod Ladewigius et Hauptius e Mediceo, qui a m. pr. habet *adsunt*, et e Leidensi repetierunt *adstant*, probari non posse; nam non adstant atque in suo vestigio manent equites, sed appropin-

14) Handius Tursell. 2, p. 295: »Ante omnia quaero, quis umquam latine dixerit *cum tandem?*« Dixit homo latinissimus, Vergilius 11, 783.

quant et irruunt; quare proximo statim versu in medium certamen adducimur.

Aen. 12, 332. *Mavors clipeo* increpat.

intonat Jahnius, Ladewigius, Hauptius. Ex Heinsianis libris, praeter Mediceum, praestantissimus quisque offert *increpat,* item Servius, Donatus et antiquissimus omnium testis Silius, qui imitatione hunc versum expressit. Itaque nondum dubito hanc lectionem tueri.

Aen. 12, 401. Paeonium *in morem.*

Paeonidum, quod mendi speciem aperte prae se fert, e Mediceo revocavit Ladewigius; *Paeonium* cum superioribus editoribus Hauptius.

Aen. 12, 520. *piscosae cui circum flumina Lernae*
Ars fuerat pauperque domus, nec nota potentum
Munera, *conductaque pater tellure serebat.*

limina, quod est in solo Mediceo, revocarunt Ladewigius et Hauptius. Nondum id verum esse mihi persuadere potui. Ante et post loquitur poeta de paupertate Menoetae, nec sua arte divitem factum dicens, nec a patre rem sibi relictam. Inter ea medium illud interpositum *nec nota potentum limina* plane incongruum mihi videtur.

Aen. 12, 784. *in aurigae faciem* mutata *Metisci.*

conversa Ladewigius et Hauptius; ego retineo *mutata,* quia nimis veri simile est illud huc translatum esse e vs. 623 „in faciem conversa Metisci."

Aen. 12, 883. *O quae satis* alta *dehiscat*
Terra mihi.

ima e Mediceo repetiit Ladewigius. Pertinet hoc quoque ad illud, quod supra dixi in ea re saepe vitiosum esse Mediceum, in quo multis locis per memoriae quandam aberrationem repetuntur, quae aliis locis similibus lecta sunt. Vidit iam Heinsius mendosum hic esse *ima,* quia proximo versu redit idem adiectivum. Prudenter igitur fecit Hauptius, qui *alta* servavit.

Caput tertium.

Contra coniecturas a Ladewigio in ordinem receptas.

Nulla in parte critici operis infelicius versatus est optimus Ladewigius, quam in recipiendis coniecturis vel suis vel alienis. Iudicabis ipse, Vir praestantissime, quod dixi, verumne sit an

vanum. Codicum Vergilianorum in universum tanta est bonitas, ut raro, immo rarissime, locus detur coniecturis. Quare oportet criticum ad perpolienda huius poetae carmina accedentem cautissime in ea re versari, praesertim cum quasdam doctissimorum virorum opiniones, quae omnes veritatis numeros in se habere visae sunt, tamen falsas esse intelligamus.

E. 1, 66. *rapidum* Cretae *veniemus Oaxen*.
rapidum cretae v. O., sic Ladewigius, Servium, quamquam is etiam alterius rationis meminit, ac Vossium secutus. Macrobius 3, 4 utrum proprium nomen *Cretae* an appellativum *cretae* esse voluerit, incertum est. Hauptius, quemadmodum ante me Heinsius, Heynius, Jahnius fecerunt, *rapidum Cretae* edidit. Velim, qui *rapidum cretae* scribunt, doceant Latine ita dici posse. Nam cum multa adiectiva cum genetivo iungantur, nullum est tamen, quod ostendat licere etiam dicere *rapidus cretae*, i. e. qui cretam secum rapiat; nam *cupidus* forma tantum est simile, nec, qui „fervidus ingenii“ dixit, eo probavit etiam *cretae rapidus* verum haberi posse. Accedit ei, quam probamus, lectioni novum praesidium ex ipsa re petitum. Novimus enim veteres possessores agrorum veteranis divisorum avectos esse in provincias transmarinas, ubi novas colonias conderent aut adscriberentur veteribus: vid. Ruhnken. ad Vellei. Pat. 2, 81. Boeckh. ad tit. 2597 Corporis Inscriptt. Graec., Rudorffii Institutiones gromat. p. 331 et 386 sq., Beckeri et Marquardti Antiquitatt. Rom. Tom. III, P. I, p. 335 sq. quique ab his laudantur, Fabricius, Mazochius, Zumptius. Cassius Dio 51, 4 „*ἐκείνων δὲ* (colonorum expulsorum) *τοῖς μὲν πλείοσι τό τε Δυῤῥάχιον καὶ τοὺς Φιλίππους ἄλλα τε ἐποικεῖν ἀντέδωκεν* (Octavianus), *τοῖς δὲ λοιποῖς ἀργύριον ἀντὶ τῆς χώρας τὸ μὲν ἔνειμε, τὸ δ' ὑπέσχετο*“. Sed ad nostram causam id potissimum pertinet, quod in ea re Cretae quoque mentio fit; idem Dio 49, 14 „*ἐπειδὴ γὰρ οὐκ ἐξήρκεσεν ἡ ἐν τῷ δημοσίῳ τότε οὖσα* (*χώρα*), *προςεπρίατο ἄλλην τε καὶ παρὰ Καμπανῶν τῶν ἐν τῇ Καπύῃ οἰκούντων συχνὴν καὶ αὐτοῖς … τὴν χώραν τὴν Κνωσίων, ἣν καὶ νῦν καρποῦνται, ἀντέδωκεν*“. Eodem spectat Strabo libro decimo p. 477 „*νῦν δὲ Κνωσὸς καὶ Ῥωμαίων ἀποικίαν ἔχει*“, et titulus supra laud. Corp. Inscriptt. Graecarum.

Ceterum reieci haec in Cap. III, quoniam ea res non ex librorum mss. testimonio, sed ex coniectura pendet.

E. 8. Cum carmina Vergiliana emendare aggressus essem, multum mihi negotii Eclogam octavam facessere memini, cuius cum aliquot strophas pari inter se numero esse vidissem, diu laborabam, ut totum carmen a vs. 17 usque ad finem ad leges in antistrophico genere a Graecis observatas exigerem. Deprehendimus stropharum paria E. 3, 60—107 et 7, 21—68. Memorabile est, quod in utroque hoc poemate, 3, 59 et 7, 18 sq. poeta lectores admonendos putavit haec carmina esse e genere amoebaeo. Nimirum veteres Romani poetae nullis usi fuerant strophicis carminibus (nisi forte in re sacra), qualia recentiores demum, Graecos imitati, facere instituerunt. Nulla huic similis admonitio facta est Ecl. 5 et 8, quamquam quae sibi respondent partes E. 5, 20—44 et 56—80, earum utramque vicenis quinis versibus, casu fortasse magis quam consilio, complexus est poeta, Ecloga 8 autem aliquot strophas habet paris longitudinis. Et facile crediderim id studuisse Vergilium, ut fere inter se conveniret numerus versuum in strophis sibi aliquo modo respondentibus, sed, quia Romanos non multum huic artificiosae rationi tribuere iudicaret, non nimis anxie quaesisse talem aequabilitatem, similiterque in ea re versatum esse, atque in caesura bucolica, quam etsi ab eo non ignoratam esse ipsa res loquitur, tamen plurimis locis negligere eam non dubitavit, haud veritus, ne reprehenderetur propterea a popularibus suis. Itaque cum nullam probabilem viam, qua desiderata illa stropharum accuratior responsio Ecl. 8 inveniretur, iniri posse mihi persuasissem, nolui diutius in ea quaerenda oleum et operam perdere. Sed quod ego desperaveram, id effectum dedit Godofredi Hermanni sagacitas ad Bion. Carm. I. p. 46 sqq. Continet haec Ecloga duo carmina sibi respondentia, unum, quod versus 17—61, alterum, quod vss. 64—109 comprehendit, hoc versuum 46 cum 10 versibus intercalaribus, illud versuum 45 cum 9 intercalaribus. Ac facile largiemur Viro excellentissimo versum intercalarem post vs. 28 intercidere potuisse; nam quod praeterea scribit fortasse factum esse, ut eiusmodi versum aliena manus post vs. 75 addiderit, id minus verisimile duxerim. Sic aequatur versuum, qui est in utroque carmine, numerus, aequantur etiam septenae priores strophae. Sequuntur ternae ultimae legi illi refragantes; nam prioris carminis stropha octava (47—50) quattuor habet versus, nona (52—56) quinque, decima (58—60) tres, contra alterius

stropha octava (95—99) quinque, nona (101—3) tres, decima (105—8) quattuor. Has ut inter se exaequet, Hermannus quattuor versus (47—50) redigit ad tres; post vs. 58 intercidisse versum statuit; ita fit, ut trium ultimarum prioris carminis stropharum versus sint 3. 5. 4. Jam stropham, quae vulgo nona est, transponit Hermannus, ut fiat octava, octava contra nona, quo efficitur idem, quem modo posui, numerus 3. 5. 4. Est hoc, ut pace summi Viri (si pacem fato functorum implorare fas est) dicam, quod sentio, est, inquam, hoc genus critices ab eo, quod in Vergilio sequendum, maxime alienum; nam, uti supra dixi, tanta est codicum Vergilianorum praestantia, ut in tam brevi spatio tam multa novare apud hunc poetam non liceat. Quare adsentior Aemilio Hoffmanno inventum illud improbanti, recteque fecisse mihi videntur Hauptius et Ladewigius pleraque in hoc carmine immota relinquentes, quamquam Ladewigius Introduct. p. XVI antistrophicam rationem per totum carmen inter se constare arbitratur, quod iure negat Hermannus p. 47; nam quod tres ultimas utrimque strophas aliam alii mutato ordine (g. h. i. et h. g. i.) respondere existimat Ladewigius, talis stropharum implicatio certe a Romano more prorsus abhorret. — Persequamur iam cetera. Amplexi sunt Hauptius et Ladewigius mutationem ab Hermanno vs. 48 sq. factam. In libris mss. est, quod priores editores omnes servarunt:

Saevus Amor docuit natorum sanguine matrem
Commaculare manus; crudelis tu quoque, mater.
Crudelis mater magis, an puer inprobus ille?
Inprobus ille puer; crudelis tu quoque, mater.

Quae Hermannus sic refinxit:

48. Saevus Amor docuit natorum sanguine matrem
49. Commaculare manus: puer, ah puer inprobus ille:
50. Inprobus ille puer, crudelis tu quoque, mater.

Illud primum, ait Hermannus, *crudelis tu quoque mater* absurdum est, nec prodest haec sic interpretari: „s a e v u s A m o r, s a e v a t u q u o q u e, m a t e r; ubi non *quoque*, sed *quidem* dicendum erat”. Saevitiam exprobrat Amori poeta, additque in matrem q u o q u e simile cadere opprobrium. Saevitia Amoris docuit matrem natorum sanguine manus commaculare; quod ut docere crudelis est animi, ita facere; ergo mater quoque crudelis. Sed quo clarius appareat, Amoris quanta sit saevitia, comparat Da-

mon hanc cum Medeae crudelitate, qua quidem nihil cogitari solet immanius. Num igitur, inquit, crudelior mater, an improbior Amor? Improbus est Amor, quamquam mater quoque magnam sustinet crudelitatis culpam. Ergo cum Medea pro exemplo extremae immanitatis habeatur, tamen improbitas Amoris illam superat, quippe qui talis immanitatis magister fuerit. In his equidem nihil deprehendo, quod merito ineptum absurdumque dicatur. Ego vero facile diffido meae perspicacitati; sed cum ne Vossio quidem aquam hic haesisse videam, non retractabo nunc, quae dudum a me scripta sunt in maiore et minore editione. Ceterum cum versum 50 retineat Hermannus, non videtur liquere, quare eo versu *quoque* verum sit, non item vs. 48. Pergit Hermannus: „De sola Amoris saevitia sermo est; Medeae crudelitas, ut exemplum Amoris saevitiae, modo leviter erat tangenda; quare quaestio illa *crudelis mater magis an puer inprobus ille* ab hoc loco alienissima est." Aliter iudicabimus, si hoc tenuerimus, non tantum exemplum aliquod saevitiae Amoris proponere, sed, ut supra diximus, eam saevitiam cum incredibili crudelitate Medeae contendere poetam voluisse, quo acerbius notaret Amorem Medeae crudelitatem detestando, sed multo magis detestando Amoris saevitiam quippe hanc affirmans illa multo insigniorem fuisse. — Longiores hic fuimus; brevius cetera persequi licebit. Post vs. 58 excidisse versum Hermannus arbitratur amissumque signis interpositis indicant Ladewigius et Hauptius. Non negabis, Anthoni, id fieri potuisse, sed quod Hermannus ait nimis nudum esse illud *vivite silvae*, ipsamque rei rationem et consuetudinem poetarum, ut iteretur hoc *vivite*, postulare, id exemplis e Theocrito allatis nullo modo probari fateberis. Iteratum hoc *vivite* pulchre conveniret animo desiderii pleno, parum convenit homini desperanti et silvas se non amplius curare dicenti. Ceterum quod Hermannus talis sententiae versum perisse existimat,

„Vivite, Maenaliae quondam mea pascua valles"

id nec concordat cum sensu huius pastoris, nec valles pascua dicuntur a Vergilio. — Versum 108 auctore Hermanno Hauptius ponit ante vs. 107. „Absurde, ait Hermannus, quaerit mulier *credimus, an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?* iam enim omnis dubitatio exempta est latratu canis. Omninoque qui finem prioris carminis comparaverit, vs. 59 sq., videbit necessario finiri alterum carmen versu 107." Ego vero propter easdem fere cau-

sas, quae, ut loco suo moveret versum 108, induxerunt Hermannum, in sua sede retinendum iudico. Sunt enim haec verba conspicientis iam redeuntem Daphnim, sed, uti fit in tali re, vix credentis suis oculis. — Reliquas mutationes omitto, utpote etiam a Ladewigio Hauptioque praeteritas; unam tamen commemorare, quippe gravi argumento fultam, supersedere non possum. Negat enim Hermannus verbis nonae strophae „*His ego Daphnim Adgrediar*; *nihil ille deos*, *nil carmina curat*" locum esse in hoc carmine, nisi ea stropha sedem commutet cum stropha octava. „Quorum verborum, inquit, cum haec debeat sententia esse, tam parum illum deos et carmina curare, ut tali sit vi adgrediendus, cui resistere nequeat, requirimus, ut id ipsum dicatur. Et dictum est quidem, sed non suo loco, in ea stropha, quae hanc praecedit." At hoc modo dirimuntur, quae dirimi nullo pacto licet. Nam si vera sit opinio Hermanni, iactos in fluvium cineres putabimus, antequam novum quid illa mulier experiatur; neque enim conveniebat, eventu praesentis experimenti non exspectato, ad aliud artis magicae praesidium se convertere; sed nondum iactos esse declarat vs. 105 sq.:

corripuit tremulis altaria flammis
Sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse.

Si qua est in hac stropha difficultas, ea non talis est, quae expediri nequeat. Cum cetera, quae potest, iam temptaverit pharmaceutria, unum illud, quo adgrediatur Daphnim, sibi superesse videt, quod continetur vs. 101 sq., spe omni prope iam deposita, propterea quod nulla hactenus vis magica, nullum carmen ex urbe eum retrahere potuerit. Ita si haec intellexeris, et commode et suo loco dicta apparebit.

G. 3, 188. *Atque haec iam primo depulsus ab ubere matris* Audeat.

Gaudeat, suam coniecturam, intulit Ladewigius pro lectione librorum *Audeat*. Sententia carminis haec est: „Primum eximenda est formido pullo equino; ergo primum discat arma videre, lituorum sonum pati, ferre rotam, audire frenos sonantes, tum magis magisque sonitum plausae cervicis amare; atque haec audeat sive huic audaciae adsuescere incipiat iam tum, ubi ab ubere matris depulsus erit." Quorsum igitur *Gaudeat* optimae lectioni substituas? Nam in eo quoque est signum aliquod audaciae, quod in-

cipit blanditias magistri non, ut ante, reformidare. Jamque vide mihi verbis *Atque haec . . . audeat* subiuncta illa

inque vicem det mollibus ora capistris
Invalidus etiamque tremens, etiam inscius aevi;

quae ipsa res proficiscitur ab audacia, non a gaudio.

A. 1, 8. *quo numine* laeso.

quo numine laesa scripsit Ladewigius, quomodo Vergilium scripsisse primus coniecit Scioppius. At nec necessariam esse mecum fateberis, Vir amicissime, hanc coniecturam, nec probabilem; non necessariam, quia verba *quo numine laeso*, quae est omnium librorum lectio, commode explicari possunt; non probabilem, quia non est credibile faciliorem lectionem *laesa* a librariis in difficiliorem *laeso* mutatam esse. Vocabulum *numen* fit a *nuo* proprieque ponitur in re aliquoversum se inclinante, ut apud Lucretium 4, 180 (179) et 2, 632, cuius verba infra adiiciam. Utroque loco *numen* a viris doctis mutatum est in *momen*; nollem factum, cum haec invicem se tueantur ipsiusque huius vocabuli natura admittat hanc, quam ei modo tribui, significationem. „At, inquit Lachmannus ad Lucret. 2, 632, quid sit numen, docet Varro l. 7. p. 363: Numen dicunt esse imperium, dictum a nutu". Huius viri tanta est merito apud me auctoritas, ut prope invitus ab eius sententia discedam. Sed tamen velim attendas, optime Anthoni, illa Varronis verba spectare ad illustrandum unum versum Attii, non ad complectendum usum universum vocabuli *numen*; quapropter non video equidem, quo iure originis disputatione abusos dixerit Lachmannus, qui id nomen de motu accipiant. Cum autem sententia versuum Lucretianorum plane conspiret cum originatione eius vocis, aut credemus testimoniis codicum, aut actum erit in eiusmodi causis de fide horum testium. Adde, quod librarii, qui carmen Lucretii ad posteros propagarunt, cognitum habuerunt vocabulum *momen* iisque locis, ubi apud hunc poetam legitur, integrum servarunt, quorum si qua deprehenderetur his locis titubatio, etiam ceteris titubatum esse facile crederem. Nunc eadem constantia et *momen* et *numen* suis quodque locis prodiderunt. Denique certo discrimine *momen* et *numen* dixit Lucretius, illud aut de certo motu, 2, 220:

216. Illud in his quoque te rebus cognoscere avemus,
Corpora cum deorsum rectum per inane feruntur,

Ponderibus propriis incerto tempore ferme
Incertisque loci spatiis decellere paulum,
Tantum quod momen mutatum dicere possis.

mutatum igitur momen, quod ante certum fuit.

aut de causa motus, 3, 188 sq.:

Momine uti parvo possint inpulsa moveri.
Namque movetur aqua et tantillo momine flutat.

aut de ipsa re mota, 6, 474:

Quo magis ad nubis augendas multa videntur
Posse quoque e salso consurgere momine ponti.

contra *numen* de motu vario et quasi voluntario 4, 180 (179) de mobilitate simulacrorum:

In quem cumque locum diverso numine tendunt.

et de vera nutatione, quae ipsa voluntaria est et varia, 2, 632:

Terrificas capitum quatientes numine cristas.

Quae cum ita sint, nondum me paenitet apud Vergilium A. 1, 8 et 2, 123 *numen* inclinationem animi ac voluntatis deorum interpretatum esse. Quod autem Ladewigius a Fato laesam Iunonem intelligit, id nescio an veterum de Fato sententiae adversetur quam maxime. Quod enim lege Fati immutabili constitutum est, id nihil impedit quin deus aliqui dilatum mutatumve velit, at laesum ea re iniuriaque se affectum queri non licet.

A. 1, 393 sqq. Aspice bis senos laetantis agmine cycnos,
Aetheria quos lapsa plaga Iovis ales aperto
Turbabat caelo; nunc terras ordine longo
Aut capere aut captas iam despectare videntur:
Ut reduces illi ludunt stridentibus alis
Et coetu cinxere polum cantusque dedere,
Haud aliter puppesque tuae pubesque tuorum
Aut portum tenet, aut pleno subit ostia velo.

Ladewigius membra huius comparationis luxata ipsamque comparationem vitiosam esse censet. Pertinet id, quod altero loco posuimus, ad munus interpretis, non critici; itaque hanc quaestionem nunc seponemus. Existimat autem Ladewigius versus hos a poeta hoc ordine collocatos fuisse:

Aspice bis senos laetantis agmine cycnos.
Ut reduces illi ludunt stridentibus alis,
Et coetu cinxere polum cantusque dedere,
Aetheria quos lapsa plaga Iovis ales aperto

Turbabat caelo, nunc terras ordine longo
Aut capere aut captas iam despectare videntur:
Haud aliter *cet.*

Qua in re desiderabis mecum, Anthoni, iudicium hominis elegantissimi. Primum transpositis ita his versibus non apparet, quare potissimum laetantes agmine dicantur isti cycni; adiecit hoc poeta, quia statim erat dicturus agmen illud disturbatum esse ab aquila; itaque versui 393 is subiiciendus fuit, qui servato pristino ordine illum excipit „*Aetheria quos lapsa plaga*" cet. Deinde illi cycni reduces appellantur, antequam locum, ubi antea fuerunt, eos deseruisse novimus. Tum languent ista „*Aetheria quos lapsa plaga . . . caelo*", ut necessarium, quo stare possint bini versus praegressi, ita serum adminiculum praebentia. Denique si illi reduces sunt, non revertuntur demum, sed iam reverterunt, cui rei adversantur verba *nunc terras ordine longo aut capere aut despectare videntur;* nam redux non est, qui reducitur, sed qui reductus est, nec dii reduces sunt, qui faciunt redire, sed qui redire fecerunt.

A. 2, 738. fatone *erepta Creusa*
Substitit erravitne via.

fato est e coniectura (Dietschio probata pag. 23) Peerlkampii, qui tamen in ordinem eam recipere non est ausus, scripsit Ladewigius. Nihil ea coniectura opus, ut Hauptius quoque vidit. Ordo verborum est, quem iam indicavit Servius: „fato erepta Creusa substititne erravitne via". Particulae *ne* traiectae exempla satis multa reperiri constat.

Aen. 3, 545. *Et* capita *ante aras Phrygio velamur amictu.* *caput*, uti scripsisse Vergilium suspicatus eram in Varr. Lectt., probatum etiam Peerlkampio, exhibet Ladewigius. Nunc equidem nihil movendum puto, partim quod parum constat, quid in quoque libro h. l. legatur, partim quia *capitante*, quod est in Mediceo a m. pr. quodque in antiquioribus eo codicibus fuisse videtur, originem variandae lectioni dedisse arbitror. Sed ipsum hoc vitium veram lectionem, ab Hauptio quoque retentam, ostendere videtur; nam cum quinque priores syllabas librarii per socordiam pro verbo *capit* accepissent, ex *capita ante* nasci potuit illud, quod in Mediceo esse diximus, *capitante*.

Aen. 4, 217. *Maeonia mentum mitra crinemque madentem*
Subnixus.

subnexus ediderunt Ladewigius et Hauptius; et malim ipse maiorem huic lectioni accedere auctoritatem a codicibus, quam unius Leidensis. Nunc acquiesco in interpretatione ab Heynio proposita; et ita *mentum mitra subnixus* Latine dici non abnuunt antiqui interpretes, Servius: „*crin. mad. subnixus*, crinem unguentatum subnixum habens"; additur etiam alia explicatio: „Aut *subnixus*, fiducia elatus", quae certe probat *subnixus* legisse Servium. Donatus: „mitra illi et usque ad mentum crines madentes, ut feminis".

Aen. 4, 435. *Extremam hanc* oro *veniam — miserere sororis —*
Quam mihi cum dederis cet.

ora scribendum esse coniecit Ladewigius eamque coniecturam in ordinem recepit. Nihil minus necessarium. Vellem Vir doctissimus saltem ante docuisset, qui ita locuti sint, ut *veniam dare* id significet, quod ipse opinatur: „hanc veniam si mihi ab illo impetraveris".

Aen. 4, 471. 469. *Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus,*
471. *Aut Agamemnonius* scaenis *agitatus Orestes*
Armatam facibus matrem .... Cum fugit etc.

saevis, coniecturam Hildebrandi, in ordinem recepit Ladewigius. Non facile, puto, venisset cuiquam in mentem labefactare lectionem per omnes libros propagatam, nisi Marklandus primus, ut aiunt, fluctus in simpulo excitasset. Illud ipsum *saevis* statim displicebit legenti ut parum apto loco positum. Sed quid tandem adeo molestum est *scaenis*, cum rei in scaenis repraesentatae mentionem poeta modo fecerit, Penthei dico insanientis; nam ipse Vergilius voluit nos de Pentheo a tragicis producto admonere, cum dicit *videt*, non *vidit;* hoc tempus convenit mytho, illud scaenico spectaculo.

Aen. 4, 587. *Vidit et* aequatis *classem procedere velis.*

Amplexus est Ladewigius coniecturam C. Fr. Hermanni, cuius hominis et ab ingenii solertiaeque et a morum eruditionisque laude longe ornatissimi, praematura morte literis nostris erepti, non sine acerbissimo dolore memini. Is Vergilium *arquatis* scripsisse coniecit; docte sane et ingeniose; verum cum *aequatis velis* commode explicari possit, non audeo omnium codicum scripturam contemnere.

Aen. 5, 139. *ubi clara dedit sonitum tuba,* finibus *omnes*
Prosiluere suis.

sedibus Ladewigius e coniectura Peerlkampii; *finibus* retinet Haup-

tius. Ut acumen Peerlkampii agnosco in ea invenienda, ita doctrinam in eadem exornanda. Tamen rationes ab eo prolatae mihi non sufficiunt. Sequamur ordinem disputationis Peerlkampianae. „*Omnes* nautae, qui sonitum tubae exspectabant, pro-„siluere ex locis, quae sortiti erant vs. 132 *tum loca sorte legunt.* „Hic iam novum mihi accidit, loca, unde procedendi initium fit, „appellari *fines.* Scio *fines* appellari, quibus aliquid finitur, defi-„nitur, ultra quos ante auditum signum se movere non licet. „Sed in tali certamine probe discernuntur *carceres* et *meta*, ini-„tium et finis. Virgilius mox scopulum *metam* nominat, hoc est „finem recti cursus, ubi circumflecterent. Magis etiam novum „accidit, hos fines dici *suos.* Fines omnibus quattuor navibus „erant iidem. Ovidius v. c. X Met. 652 *Signa tubae dederunt, cum — carcere pronus uterque Emicat*" — non scripsisset *suo carcere*". Fines sunt loca finita et certa; Liv. 42, 46 „interdum locum finire, in quo dimicaturi essent": intelligemus autem, qui in circo appellantur carceres, quo vocabulo poeta ipse vs. 145 illustrat eos, quos hic appellavit fines. Recte quidem negat Peerlkampius quemquam scripsisse *suo carcere*, quia scilicet non suos quisque carceres habet, qui sunt omnium certantium communes; at fines, quae sunt certa, sed singula, loca, sui cuique adsignantur. Huc pertinet illud, quod supra vs. 132 scriptum est, *tum loca sorte legunt*, quo rem vel ex Homero (Il. 23, 352 sqq.) notam tangit poeta, nec eam in descriptione talis certaminis praetereundam, sortitionem locorum, infra vs. 315 iterum indicatam. Ut enim singulis curribus in circo suus locus sorte obtingit, ita in navali certamine navibus, non nautis ac remigibus, qui quem in sua quisque nave locum habeant, nihil refert, aut si referat, eas res non a tali sortitione pendebit, sed ab arbitrio magistrorum cuiusque navis. — Pergit Peerlkampius: „Iam *prosiluere*, non „ipsi, sed cum navibus suis, naves adeo prosiluere. Naves in-„genti mole, urbium opera, terno remorum ordine, primo „remorum impulsu statim *prosiliunt?* Recte diceres de equis, de ho-„minibus. De navibus, quales Virgilius descripsit, ineptum est". Haud sine periculo saepe fit, ut ineptias obiiciamus aliis. Ergone ineptit Vergilius, cum scribit: finibus omnes,

Haud mora, prosiluere suis; ferit aethera clamor
Nauticus, adductis spumant freta versa lacertis.
Infindunt pariter sulcos, totumque dehiscit

Convolsum remis rostrisque tridentibus aequor.
Non tam praecipites biiugo certamine campum
Corripuere ruuntque effusi carcere currus, *cet.*

Quo tandem dices pertinere hanc comparationem, si non pertinet ad declarandam celeritatem navium ex finibus suis prosilientium? — Audiamus, quae sequuntur: „Pro *finibus* vix dubito quin legen„dum sit *sedibus.* Nautae sedebant, bracchia remis intenta ha„bentes et signum exspectantes. Vix signum audiverant, cum „sine mora emicant, de sedibus quisque suis prosiliunt, lacertos „adducunt, et pariter sulcos infindunt. Prosiliunt de sedi„bus, surgunt, ut eo vehementius remos ad pectora ducant". At etiam post datum signum sedisse nautas probat vs. 207; ibi demum consurgunt, quia contis, non remis, tum utendum erat. — Progredimur ad extremam partem disputationis Peerlkampianae: „Virgilius et alii hoc vocant *remis insurgere*, Aen. „3, 207: *remis insurgimus.* Ibi Servius interpretatur: exsur„gentes fortius remigamus. Idem ad 5, 189, ubi Mne„stheus socios hortatur *nunc*, *nunc insurgite remis*, explicat ex „contrario apud Lucan. 3, 543 *Atque in transtra cadunt et remis* „*pectora pulsant.* Omnino, quod stantes facimus, facimus maiore „cum impetu, quam sedentes". Servium artis remigandi parum peritum fuisse cognoscitur ex eo, quod *insurgere* putat idem esse, quod *exsurgere;* nec verum est, quod ait Peerlkampius, omnia, quae stantes faciamus, fieri fortius. Immo maiore cum vi remigant sedentes, quam stantes. Quae cum magna agilitate totius corporis facienda sunt, ea melius fiunt a stantibus; at remigatio, quae solam prope lacertorum vim roburque pectoris requirit, vehementior erit, si non pars virium stando detrahitur, validiorque et magis perpetuus in ea re est nisus sedentium, quam stantium. Atque haec ita esse, ut dixi, testantur, quos ipse percontatus sum, huius rei periti in eaque exercitati. Quid sit *remis insurgere*, docet Graecum verbum *προνεύειν.* Polybius de institutione remigum Romanorum ita scribit 1, 21 *„καθίσαντες ἐπὶ τῶν εἰρεσιῶν ἐν τῇ χέρσῳ τοὺς ἄνδρας, τὴν αὐτὴν ἔχοντας τάξιν ταῖς ἐπ' αὐτῶν τῶν πλοίων καθέδραις, μέσον δ' ἐν αὐτοῖς στήσαντες τὸν κελευστὴν, ἅμα πάντας ἀναπίπτειν* (reclinare se) *ἐφ' αὑτοὺς ἄγοντας τὰς χεῖρας, καὶ πάλιν προνεύειν ἐξωθοῦντας ταύτας συνείθιζον."* Primum in ea re erat *καθῆσθαι*, alterum *προνεύειν*, tertium *ἀναπίπτειν*, quo ordine haec ponit in

Oeconomico Xenophon a Casaubono laudatus: „*οἱ ἐμπλέοντες ἐν τάξει μὲν καθῆνται, ἐν τάξει δὲ προνεύουσιν, ἐν τάξει δ' ἀναπίπτουσιν,*" nec Polybius de alio ordine loquitur. Nihil hic de **stantibus** remigibus. Quod autem *ἀναπίπτειν* Graeci dicunt, Lucanus 3, 543 dixit *in transtra cadere*, cum eaque re coniungit, ut supra vidimus, remos ad pectus adductos, quemadmodum cum *ἀναπίπτειν* Polybius *τὸ ἐφ' αὐτοὺς ἄγειν τὰς χεῖρας*, contra quod illi *προνεύειν*, Val. Fl. 1, 450 dicit *insurgere transtris*. Ceterum multi erat laboris, remos istos praelongos gravesque rursus circumagere (quae res erat *τοῦ πάλιν προνεύοντος*) idque protentis manibus (*ἐξωθοῦντες τὰς χεῖρας*) et incumbente atque adnitente corpore faciebant; quod ipsum haud scio an multo melius a sedente, quam a stante fieri potuerit.

Aen. 5, 706.

704. *Tum senior Nautes, unum Tritonia Pallas*
5. *Quem docuit multaque insignem reddidit arte* —
6. 7. Haec *responsa dabat, ... quae fatorum posceret ordo* —
8. *Isque .... infit.*

Hac (arte) responsa dabat Ladewigius scripsit secundum coniecturam, quam Dietschius in praeclara dissertatione de Theologumenis Vergilianis pag. 28 proposuit. Hauptius retinuit *haec*, quod femininum est, relatum ad Palladem; ad hanc enim verbum *dabat* pertinet, ad Nauten pertinere non potest. At negat Dietschius de Pallade ista dici potuisse, quia constanti usu ii, qui vaticinia canant, non qui alios canere doceant, responsa dare dicantur. Quid igitur? num Palladem consulenti Nautae responsa dedisse negabimus? Repones fortasse: Pallas si Nauten artem vaticinandi docuit, quid erat, quare eam iterum iterumque consuleret? Scilicet in hoc ipso est omnis error; quid enim poeta dixit, nisi hoc: eruditum esse Nauten ab erudita dea, sapientem redditum a sapienti, atque ab eadem in rebus maxime dubiis responsa accepisse? Servabimus igitur, quod edidimus, *Haec*, versusque 706 et 707 *παρενθέτους* existimabimus. Dietschius not. 212: „Quod post interpositam, ait, longiorem parenthesin subiectum *Nautes* per *isque* repetitur, anacoluthiae genus tale est, in quo nemo merito offendat. Wagn. Quaest. Verg. XXXV, 9."

Aen. 6, 898.

891. *Exin bella viro memorat quae deinde gerenda* etc.
894. *Sunt geminae Somni portae* etc.

898. His *ubi tum natum Anchises unaque Sibyllam*
Prosequitur dictis portaque emittit eburna,
Ille viam secat ad navis etc.

Hic Ladewigius, ut coniecit Peerlkampius; idem est in editione Hauptiana. Mireris, quod lectio omnium codicum *His*, cum nemo e numero superiorum editorum in ea offenderit, damnata sit consensu recentissimorum. Atque ut dicam, quod sentio: si omnes libri haberent *Hic*, ego contenderem Vergilium scripsisse *His*. Nam quid hoc est *prosequitur dictis?* quibus aut qualibus? nisi enim egregie fallor, ubicumque verbum *prosequi* eo, quo h. l., sensu ponitur a melioribus (ac fortasse ab omnibus) scriptoribus, adiectum habet aliquid, quod indicet, quale sit, quo prosequimur quempiam. Ut cum votis prosequimur peregre abeuntem, apparet, quale sit id, quo prosequimur; vota enim sunt bona dicta; dictis vero cum prosequimur, cum *dicta* vox sit mediae significationis, addendum est aliquid, quo cognoscatur, quae vel qualia sint. Tum *Hic*, quod est loci adverbium, haud scio an sit supervacaneum, cum certum loci indicium adiiciatur: *porta emittit eburna*; quare Vergilium, si non scripsisset *His*, scripturum fuisse *Atque* suspicor. Hoc autem ipsum *His* si quam habet difficultatem, ea omnis posita est in poetica orationis conformatione. Historicum qui ageret, ita rem comprehenderet: „Postquam Anchises filium per omnia duxit, prosequitur eum memorans inter eundum bella, quae deinde ei essent gerenda, portaque eburnea emittit.“ Cum autem nihildum de gemino illo exitu memoraverit poeta, nec tacendum sibi de eo putaverit, interponit ea, quae versibus 894—897 continentur, (nam langueret ea descriptio post vs. 898 vel 899 collocata) tum coeptam telam pertexit vs. 898 sqq.

Aen. 7, 598.

595 *Ipsi* (Latini) *has sacrilego pendetis sanguine poenas,*
O miseri. Te, Turne, nefas, te triste manebit
Supplicium . . .
Nam *mihi parta quies, omnisque in limine portus;*
Funere felici spolior.

Sic ceteri editores; contra Ladewigius:

Non mihi parta quies, omnisque in limine portus
Funere felici spolior.

Primum igitur *Non* coniecit Vergilium scripsisse, eamque coniecturam, ut manum ipsius poetae, in ordinem invexit; si *Nam* re-

tineamus, in falsam opinionem induci legentes dictitans, quasi neget Latinus quidquam sua interesse, si populus pessumdetur, ipse felici funere spolietur. Qua in re ille, si quid video, Te, optime Anthoni, minime habebit assentientem. Neque enim in verbis Latini quidquam inest, quo se miseria populi sui non commoveri indicet; immo *πάθος*, quod cernitur in verbis *O miseri*, tum poenarum cogitatio, quibus suos afflictum iri praevidet, animum indicat misericordia percussum. Porro illud sapienter et humaniter, quod, dum populo Turnoque metuit, suis malis nihil commovetur, quippe qui in ipso prope vitae exitu constitutus requiem aerumnarum a propinqua morte speret. Nec illud verum est, quod Ladewigius ait, si *Nam* legatur, hoc Latinum dicere: nihil se dolere felici funere orbatum. Immo non expertem doloris Latinum in ea cogitatione esse probat illud ipsum *felici*. Quid enim optabilius esse debet ei, qui in splendida fortuna omnem vitam degit, quam mori infelicitate? Ergo cum mors etiam optanda sit seni, honesto funere idem non carebit aequo animo. Eurip. Hec. 317 sqq.:

καὶ μὴν ἔμοιγε ζῶντι μὲν καθ' ἡμέραν,
κεἰ σμίκρ' ἔχοιμι, πάντ' ἂν ἀρκούντως ἔχοι·
τύμβον δὲ βουλοίμην ἂν ἀξιούμενον
τὸν ἐμὸν ὁρᾶσθαι.

Ac facile illud quoque persentisces, optime Anthoni, hanc orationem longe digniorem esse Latino, quam querulam illam a Ladewigio substitutam. Quod autem sublata interpunctione, quae est in fine versus 598, *omnis* vult nominativum esse, qui referatur ad Latinum, certe is numquam dixisset *omnis spolior;* quoniam satis est spoliatum esse funere felici, nec id miserabilius fit addito hoc *omnis*; sed non est dubium, quin potius dicturus fuerit *ipsoque in limine portus*, i. e. et in ipso limine portus, seu speratae quietis, navigans spolior felici funere. Denique *mihi*, quod oppositis *Ipsi* vs. 595 et *Te* vs. 596 respondet, iacebit, si praeposueris negativam *Non*, quae ad verbum *parta* pertinet, contra accipit pondus necessarium, si subieceris particulae *Nam*, quae ad ipsum illud *mihi* refertur hunc in modum: „nam de me quod dicam, hoc est."

Aen. 7, 693. In hunc locum Ladewigius mutato pronomine retraxit versum, quem omnes libri et scripti et impressi ante vs. 696 collocant,

Is (Hi) *Fescenninas acies Aequosque Faliscos.*

Parum probabilis coniectura, maxime propterea, quod non solum locus mutatus est, sed quod, ut is mutari posset, etiam lectio mutanda fuit. Causam traiectionis, etsi quae fuerit non difficile est divinare, non indicavit Ladewigius; quae res nobis quoque brevioribus esse, i. e. nihil amplius addere, hoc loco licet. Ceterum idem, ut etiam Hauptius, *aequos* minore litera initiali scripsit; cum tamen ipse illud *aequos* pro parte nominis huius oppidi habeat, facile patiere, Anthoni, me retinere, quod semel exhibui. Recte vero, opinor, Theodorus Bergk in disputatione scripta ao. 1844, praemissa indici Lectionum Marburgensium, reiectis aliorum opinionibus Aequos a latino adiectivo *aequus* dictos negat probabiliterque disputat Aequos Faliscos ab urbis in colle situ appellatos esse; *Aequum* enim factum esse ex Osco vocabulo *Alpo*, quandoquidem Oscis literarum *qu* nullus fuerit usus, sed, ubi Latini his literis utantur, Osce *p* scribatur; Aequos s. Aequiculos dici ut montanos, et quaedam alia eodem modo.

Aen. 8, 670. *Secretosque pios*; his *dantem iura Catonem.*

hic dantem contra omnes libros mss. scripsit Ladewigius. Mirum profecto, quod nondum quisquam incidit in tam facilem coniecturam. At quod habent codices *his*, minime est reiiciendum, modo recte interpretemur haec verba. Nonne autem Tibi quoque, amicissime Anthoni, videtur hoc dicere poeta: „Catonem (Uticensem illum, nam Catonis Censorii s. maioris memoriae satisfactum est a poeta 6, 842) propter morum sanctitatem umbrae in Elysio degentes observant tamquam regem, cuius ad voluntatem arbitriumque libenter se componant."

Aen. 9, 146 sq. Sed *vos, o lecti, ferro quis scindere vallum*
Apparat *et mecum invadit trepidantia castra?*

Sic libri scripti editique omnes. Ladewigius haec de sua coniectura ita mutavit:

Et *vos* . . . .
Non parat . . . .

Desiderat Ladewigius in vulgata lectione iuncturam, qua haec cum superioribus conglutinentur. Quid? si maluit poeta concisa abruptaque oratione uti, convenientissima illa quidem irato turbidoque animo Turni, id quod neminem effugiet ista omnia uno quasi tenore legentem; nec habet *Sed*, quod quis recte improbet;

saepe enim per eam particulam paratur transitus ad alia, quod non est quare exemplis, quae sunt plurima, confirmemus. Quod autem dicit poeta *quis apparat*, non est vere interrogantis, sed cohortantis per speciem interrogationis; neque enim semper imperativo utimur in hortando, et G. 2, 37 sq. „*iuvat Ismara Baccho Conserere atque olea magnum vestire Taburnum*" ornatu poeticae orationis detracto dixeris: conserite colles vitibus oleisque.

Aen. 9, 387. *Nisus . . . . iam evaserat hostis*
Atque locos, *qui post Albae de nomine dicti*
Albani.

Ac lucos edidit Ladewigius, sua coniectura verum se assecutum ratus; idem in sua editione exhibet Hauptius, sine dubio gravi aliqua causa motus. Ac profecto lucorum Albanorum mentio facta est a Cicerone pro Mil. 31 „Vos, Albani tumuli atque luci, imploro atque testor." Quae res ita comparata est, ut, si non aliqua ratione lectionem optimorum codicum tueri licuerit, concedendum videatur in sententiam viri eruditissimi acutissimique. Sed interdum ne maxime quidem probabilibus ad speciem coniecturis nimis fidendum esse declarat hic ipse locus; nam aut egregie fallor, aut salva est librorum veterum auctoritas. Primum consideremus situm locorum. Euryalum praeda onustum non est consentaneum, cum caperetur, longe abisse. Dum is ducitur, redit Nisus. Fac horam inter ea interfuisse: num Nisus videbitur eo spatio ad lucos Albanos pervenire et inde ad Euryalum redire potuisse? At longum, immo nimis longum id tempus iure dixeris, si cogitaveris horae dimidiae spatio Nisum ne semel quidem respexisse animumque ad relictum post se Euryalum reflexisse. Sed negat Heynius longinquitates locorum geometrica subtilitate exigi a poetis. Crederem fortasse, si ea omnia extra Italiam agerentur; nunc aguntur in vicinia ipsius urbis Romae. Quis igitur sibi persuadeat diligentissimum poetam scripsisse, quae quivis homo Romanus redarguere posset? Ergo nec usque ad lucos Albanos et multo minus ad lacum Albanum (sunt enim, qui *Atque lacus* legant) processisse Nisum existimabimus. Restant loci Albani. Qui quo maxime loco fuerint, cum nemo veterum id prodiderit, pro certo indicari nunc non potest: at novit Vergilius non ita longe afuisse a castris Troianis. Sed illud, si non scire, tamen probabiliter coniicere poterimus, quae ratio et causa fuerit huius appellationis. Loci vocabulo significatur viculus. Salma-

sius Plin. exercitatt. pag. 98: „Plinius 4, 5, 13 „„locus Pherae"", i. e. *κώμη*. ibid. „„oppidum Olenum, colonia Dyme, loca Buprasium, Hyrmine"", h. e. *κατοικίαι*. Stephanus „„*Βουπράσιον κατοικία ἀξιόλογος τῆς Ἤλιδος.*"" Sic infra Solinus „„Pythonis come in Asia locus."" Valer. Max. 5, 3 de Theseo „„ille locatim dispersos cives suos in urbem contraxit." Haec ibi Salmasius; adde pag. 617 et Graev. in Varr. Lectt. a me laud. Harduinus quidem ad illa primo loco posita *locus Pherae* sic adnotat Vol. 2, pag. 24 edit. Franz. „Modus hic loquendi Plinio familiaris oppidum plane deletum innuit, rudera modo et vestigia superesse." At distinguit ipse Plinius loca ab oppidis plane deletis §. 16 „Oppida Taenarum atque ubi fuere Cardamyle, Pitane, Anthea, locus Thyreae, Gerania." et paulo post §. 17 „Mycenae et ubi fuisse Tiryntha tradunt et locus Mantinea." Atque ut supra Plinius discernit inter se coloniam et locum, ita cap. 7, 24 pagum et locum „Rhamnus pagus, locus Marathon". Suspicabimur igitur, ut ad Vergilium revertar, in ista, qua eae res gestae sunt, regione aut Albanis adsignatos fuisse locos quosdam ex hostibus captos, aut, quod potius reor, Romanis hominibus ex agro Albano post dirutam Albam divisos, eosque dici locos Albanos. Certe B. G. Niebuhrio Hist. Rom. 1, p. 388 verisimile videtur Alba a Romanis Latinisque devicta agros Albanos in horum vel illorum vel utrorumque praedam cessisse. — Denique, ne quid consulto praetermisisse videar, quod pertineat ad rem, non debebat, qui Vergilium edidit, offendere in forma plurativa *locos*.

Fuit autem, cum locorum Albanorum explicationem fortasse a Livio peti posse existimarem, qui 23, 46 „Ager, ait, Hispanis in Hispania, Numidis in Africa post bellum virtutis causa locus datus est." Aliquoties in Inscriptionibus commemoratur locus, qui ad sepulturam datur vel deo alicui ceditur; id nihil pertinet ad hanc causam; at crebro in legibus (in nulla quidem crebrius quam in Thoria) et in plebiscitis mentio facta est loci, dandi scilicet, vendendi, adsignandi, possidendi; leg. Thoriae l. 3 „de eo agro loco . . . . quod non in eo agro loco est;" l. 5 „agri locei publicei;" paulo post l. 7 additur aedificium „ager locus aedificium;" adde lin. 12, et l. 8 „utei ceterorum locorum agrorum aedificiorum privatorum;" l. 9 „eum agrum locum aedificium possessionem," adde Hygin. gromat. vol. I,

p. 118 sq. edit. Blum.; et distinguitur locus ab agro l. 22 „quem agrum locumve pro eo agro locove," et Inscriptt. Orell. 4947 „Locus sive is ager est," tum apud eundem 3673 „Quei agrei, quae loca, aedificia publica privatave Thermensium . . quaeque insulae eorum sunt", et infra „quodque quibusque in rebus, loceis, agreis, aedificieis, oppideis iouris fuit" *cet.* et Mommsen. Inscript. Neap. 212 „Praeterea locus, sive ea pars agri silvaeque est." Porro, ut redeamus ad legem Thoriam, colonia eo deducitur l. 24 „pro eo agro loco, quo coloniam deduxit." Eiusmodi ager locusve aut in Italia est aut in provincia, l. 5 „agri locei publicei in terra Italia, adde l. 13 et 15; l. 48 „quei ager locus in Africa est," item l. 67 et saepius; l. 49 „quod eius agri locei extra Italiam est." Denique addimus, quo infra redibimus, l. 76 „quei ager locus perfugeis datus adsignatusve est." Vides, Anthoni, in hac lege semper coniungi agrum locum, quibus cum interdum aedificium adiiciatur, colligat fortasse aliquis locum eodem modo dici, quo supra vidimus, ut significet viculum. Verum ut taceam etiam inverso ordine haec poni *locum agrum aedificium*, ut supra in Inscript. Orell. 3673, in re agraria locus et ager ita differunt, ut ager sit metatus et limitatus, locus contra ita dicatur, ut nec metatus sit nec limitatus; Gromaticor. vol. I, p. 44 ed. Blum. „iudicari praeterea (debet) si locus, de quo agitur, aut terminis aut arboribus aut aliquo argumento finem aliquem agri declaret et a continuatione soli quasi quibusdam argumentis eximatur"; et infra „Si vero pascua sit et dumi ac loca paene solitudine derelicta, multo minorem possessionis habent fidem;" quare Julius Frontinus vol. I, pag. 43, l. 22 ed. Blum. „modum loci, ait, nulla forma praescribit." Jam vide, quae scripsit A. Rudorff vol. II, § 56 et 76. Etsi autem haec nihil cum versu illo Vergiliano commune habeant, tamen Livianis verbis aliquam lucem afferunt; his enim prope gemina sunt, quae in lege Thoria leguntur „quei ager locus perfugeis datus adsignatusve est;" legerat igitur Livius in lege de ea re lata vel in senatusconsulto „agrum locum dari iubere — vel placere;" quod ille cum non intellexisset, diremit, quae dirimi minime opus fuit „ager post bellum virtutis causa locus datus est," nisi forte librariis eam inscitiam imputare malis. — Quae Ulpianus Digest. l. 50 t. 16 qui est de verborum significatione, §. 60 scri-

bit, aliena sunt a nostra disputatione, quippe definientia, quid differat locus (non ab agro, sed) a fundo.

Aen. 9, 584. *Eductum* matris *luco Symaethia circum*
Flumina.

Matris maiore syllaba initiali, ut olim editum videmus, Klausenio obtemperantes scripserunt Ladewigius atque Hauptius. At nomen Symaethi fluvii indicat Symaethidem nympham potius intelligendam esse, de qua mentionem facit Ovid. Met. 13, 750.

Aen. 9, 585. *pinguis ubi et placabilis ara* Palici.

Palicis, quae est coniectura Peerlkampii, scripserunt Ladewigius atque Hauptius. *Palici* pro epexegesi accipi posse dixeram in Varr. Lectt.; at Servius singularis esse numeri indicat: „Alii dicunt Iovem hunc Palicum propter Iunonis iracundiam in aquilam commutasse; alii Vulcani et Aetnae filium tradunt"; recte, id quod docet Ovid. Epist. ex P. 2, 10, 25 „Vidimus . . . Hennaeos saltus et olentia stagna Palici".

Aen. 10, 186. 188. De his versibus diximus Cap. I.

Aen. 11, 408.

Numquam animam talem dextra hac — absiste moveri —
Amittes.

Quid moverit Ladewigium, ut, quod coniectura invenit, *movere* reciperet, non assequor; *moveri* verbis „*numquam amittes animam talem*" aptissimum retinuit Hauptius. Quia fictum metum Drancis existimat (vs. 406) Turnus, mordet eum dicens *moveri*, utpote verum metum tribuens Dranci, quem sciret simulatum.

Aen. 11, 892. *Ipsae de muris summo certamine matres,* —
Monstrat amor verus patriae — ut videre Camillam,
Tela manu iaciunt.

ut videre fugam illam scripsisse Vergilium opinatur Ladewigius nec dubitavit hanc omnium pessimam coniecturam in ordinem recipere, in quam mireris editorem Vergilii incidere potuisse. In toto Vergilio nulla est huius generis elisio, nec apud quemquam praeterea poetam simile quid exstare memini. In medio quidem versu haud rara sunt talia, quale *locum ét*, *ferae ét*, *viri ét*, *homo ét*, *toro ét;* rariora haec: *cie ét*, *iube ét*, *pati ét*, *dabo ét*, *novā ét*, *ama ét*, *manu ét*, *diu ét*, tum *viam ád*, *dei ád*, *equum in*, *gruem aut*, *tholo aut;* et quae graviore interpunctione distincta sunt *viam. At*, | *ago; hanc*, | *gero. Et*, | *sŏlo: id*, | *sŏlo*; *hunc;* | porro *cavae atque*, *rosam atque*, *gregem atque;* rara etiam talia *tona elo-*

quio, *aquā involvens*, *deum antiquam. viam invenient*, *deo inprimis*, *cavo invadunt*, *homo infectos*, haec tria extrema etiam gravi interpunctione inter se dirempta. In extremo hexametro sunt lenissimae rarissimaeque elisiones; in his rursus maxime frequentantur, quae fiunt in copula *que*, nec aliter tamen, si recte, ut puto, observavi, nisi ita, ut ea copula subiuncta sit nominativo pluralis primae declinationis aut plurali neutrorum, ut *Maeotiaque unda*, *Flaviniaque* . . . *Saturniaque* . . . *fataliaque arva*, *Cerealiaque* . . . *Volcaniaque* . . . *omniaque arma*, *Titaniaque astra*, *Ephyreiaque aera*, *agminaque armat*, *exsultantiaque haurit*, *spumantiaque addit*, *abditaque intus*, *omniaque in se*. Nec raro *neque* eliditur, *neque illum* . . . *illae* . . . *illos*, *neque ipsi* . . . *ipso*, *neque auras*, *neque aurum*, *neque ignes*, *neque imbres*, *neque Indi*, *neque ultra*. Accedit praepositio *sine ullis*, *sine ictu*; adde *ubi ingens*, *ibi omnis*. Semel infinitivum elidi memini *intremere omnem*, quae elisio, ut quaedam aliae aliis sedibus factae, maiorem vim conciliat orationi. Praeterea notabiles sunt elisiones *atque hoc animo hauri* 12, 26, et *haec eadem aufert* 10, 508, utraque minime comparanda cum Ladewigiana illa *fugam illam*. Ceterum, ut hoc addam, in quinto pede *m* eliditur in duobus trisyllabis *Ilium et ingens* et *omnium egenos*; quorum illud excusationem habet a nomine proprio, hoc ab eo, quod vulgo haec coniungebantur *rerum omnium egenus*; ab his diversum est *cui mentem animumque* 6, 11. — Sed ut ad eum locum revertamur, unde digressi sumus: ne fuit quidem ulla mutandae lectionis causa; nam explebis sententiam, quemadmodum subiectus versus monstrat, hunc in modum: „ut videre Camillam tela manu iacientem".

Caput Quartum.

De interpunctione.

Omnem de interpunctione dissensionem persequi, non est huius loci. Itaque tantum de eo genere interpunctionis hic disserere in animo est, quod afficit sententiam, in quo genere haud ita crebra discrepantia esse potest.

Aen. 2, 3 sqq. Ex Haeckermanni, docti hominis et acuti, sententia, ad quam nunc accedit gravis auctoritas Hauptii, haec ita interpunxit Ladewigius:

3. Infandum, regina, iubes renovare dolorem.
4. Troianas ut opes et lamentabile regnum
5. Eruerint Danai, quaeque ipse miserrima vidi,
6. Et quorum pars magna fui — quis talia fando
Myrmidonum Dolopumve aut duri miles Ulixi
Temperet a lacrimis?

Ego cum superioribus editoribus comma posui in extremo versu tertio, punctum in medio sexto post *fui*. Nec nunc muto eam rationem. Ingressum orationis, quam eiusmodi narrationi praemittimus, gravem, sedatum, simplicitate commendabilem esse convenit; quare inusitatum genus structurae, nimium animi motum indicans, quale infertur per illam interpunctionem, alienum ab eo tempore iudicandum est. Tum illa *quaeque ipse miserrima vidi Et quorum pars magna fui* adversantur vel maxime illi mutationi. Utique res istae sic comparatae erant, ut vel hostibus lacrimas ciere possent; at non etiam propterea, quod Aeneas his rebus interfuit, hostibus deflendae aut etiam miserabilius deplorandae erant. Pertinent haec verba ad animum luctumque solius Aeneae causamque indicant, quare dolor ex amissa patria natus, Didonis voluntate modo resuscitatus, etiam acrius animum Aeneae vulneret.

Aen. 2, 432—34.

Testor in occasu vestro nec tela nec ullas
Vitavisse vices Danaum, et, si fata fuissent,
Ut caderem, meruisse manu.

Ladewigius interpungit, ut ante Heynius (in nota) et Peerlkampius fecerunt, nuper etiam Hauptius:

Vitavisse vices; Danaum et, si fata fuissent,
Ut caderem meruisse manu;

i. e. et meruisse, ut manu Danaum caderem, si fata fuissent, scil. ut caderem. Nimis perplexe, ut mihi videtur, nec convenienter simplicitati Vergilianae. Atqui scio apud hunc inveniri transpositiones quasdam; sed istam transpositionem, antequam consimile exemplum ex Aeneide vel e Georgicis allatum fuerit, non credam ei placere potuisse, praesertim in libro ita expolito, qualis est secundus liber Aeneidos. Difficultas horum verborum posita est in vocabulo *vices*, quod significationem hic habet nobis incognitam. Age igitur, Anthoni, experiare mecum, si quam viam inveniamus, quam ingressi mentem poetae assequamur. Haud pro nihilo ducendum putaverim, quod Servius vices interpretatur *pu-*

gnas; et videtur hoc vocabulum in re gladiatoria locum habuisse; digladiantes enim alter alteri vicissim intentant ictus. Itaque per *vices* alternae petitiones, alterni assultus significari poterant; G. 3, 220:

Illi alternantes multa vi proelia miscent;

nos dixerimus: *er habe keinen gang mit den Danaern vermieden.*

Aen. 2, 554. Haec finis Priami fatorum; hic exitus illum
Sorte tulit, Troiam incensam et prolapsa videntem
Pergama *etc.*

Sic olim interpungebant; Ladewigius, Haeckermannum secutus, itemque Hauptius hoc modo:

Haec finis Priami, fatorum hic exitus illum *etc.*

In eiusmodi causa ipsos veteres scriptores si adversarios habeas, magna cautione atque cunctatione utendum; qui enim his melius nosse possunt, quid rectum sit? Gellius 13, 20 coniungit haec, quae a superioribus editoribus iungebantur: *Haec finis Priami fatorum.* Atque ipsa emphasis, quae est in pronominibus *Haec . . . hic*, utrique principem in suo enuntiato locum attribuit nec dubitare nos sinit, quin ita distinxerit ipse Vergilius, ut ante mutationem ab Haeckermanno factam distinguebatur. Ladewigius ait *fatorum* in principio enuntiati positum esse, quod in eo praecipuam vim inesse poeta voluerit, quasi vero Aeneas non narrare et deplorare velit, ut debuit, fata Priami, sed docere audientes non contra fata, sed secundum fata Priamum eum exitum habuisse. Neque vero Te illud morabitur, Anthoni, quod *fata* et *sors* h. l. idem significant, nec propterea ineptae tautologiae accusabis poetam. Totus cum sit animus Aeneae in miserabili morte tanti regis olimque tam felicis defixus, conveniebat finita earum rerum expositione primum simplicissimis verbis repetere summam rem: Haec finis Priami fatorum; quae cum tacite ingemiscens pronuntiasset, eadem, dolori suo liberum cursum permittens, explicatius dicit, fortunam pristinam felicissimi regis cum praesenti miseria comparans. Et omnes, qui his similia narrant, omni cogitatione in tanto exitio commorantes similiter loquuntur. Erit fortasse (et ipse aliquando in eam opinionem incideram) qui participium *videntem* pro epexegesi quadam verborum „hic exitus illum sorte tulit" accipiat, ut id significetur, quod in soluta oratione dixeris: hunc exitum habuit, ut videret incensam Troiam, prolapsa Pergama. Libet hanc rem exemplis e Graecorum

sermone petitis illustrare, quia aliquoties non intellectam vidi. Herodot. 7, 19 „Ξέρξης τοῦ στρατοῦ οὕτω ἐπάγερσιν ποιέεται, χῶρον πάντα ἐρευνῶν τῆς ἠπείρου" cet., 7, 104 „ἀνώγει δὲ τὠυτὸ αἰεὶ, οὐκ ἐῶν φεύγειν οὐδὲν πλῆθος ἀνθρώπων ἐκ μάχης". 9, 76 „σὺ γὰρ καὶ ἐς τόδε ὤνησας, τούςδε ἀπολέσας". 1, 117 παραδίδωμι μέντοι τῷδε κατὰ τάδε, ἐντειλάμενος," ita ut iuberem. 1, 120 „κείνως μὲν γὰρ ἀλλοτριοῦται, ἐς τὸν παῖδα τοῦτον περιιοῦσα". Similiter 9, 4 „ταῦτα . . . προέχων" et 68 „τοσαῦτα . . . ἐοῦσα". Sic intelliges Thucyd. 1, 36 τῷδ' ἂν μάθοιτε τρία μὲν ὄντα λόγου ἄξια ναυτικά," i. e. ex eo intelligetis, quod sunt tres civitates, quae valent classibus; ubi cave ὄντα suspensum esse velis ex μάθοιτε. Aesch. Pers. 241 „καὶ στρατὸς τοιοῦτος, ἔρξας πολλὰ δὴ Μήδους κακά". Soph. Ai. 182 sqq. „οὔποτε γὰρ φρενόθεν γ' ἐπ' ἀριστερὰ, παῖ Τελαμῶνος, ἔβας τόσσον, ἐν ποίμναις πιτνῶν", i. e. ὥστε ἐμπιτνεῖν ποίμναις. Aesch. Prom. 112 „τοίας δὲ ποινὰς ἀμπλακημάτων τίνω, ὑπαίθριος δεσμοῖσι πασσαλευτὸς ὤν," ubi omnes, quod sciam, editores scribunt τοιάςδε, quo fit, ut brevi intervallo ter fere idem dicatur; praecesserunt enim haec verba vs. 93 sqq. „δέρχθηθ' οἵαις αἰκείαισιν διακναιόμενος τὸν μυριετῆ χρόνον ἀθλεύσω," et vs. 108 „ἀνάγκαις ταῖςδ' ἐνέζευγμαι," quare convenit vs. 112 ita loqui Prometheum: et eo quidem mactor supplicio, ut sub dio clavis fixus sim. Eurip. Med. 1109 sqq. „εἰ δὲ κυρήσει δαίμων οὗτος, φροῦδος ἐς Ἅιδαν θάνατος προφέρων σώματα τέκνων· πῶς οὖν λύει" etc., sic enim haec interpungenda sunt, mala distinctione olim dirempta. Soph. Ant. 752 „ἢ κἀπαπειλῶν ὧδ' ἐπεξέρχει θρασύς; i. e. eone audaciae procedis, ut etiam mineris? Homerus infinitivum subiunxit Il. 6, 463 „χήτει τοιοῦδ' ἀνδρὸς ἀμύνειν δούλιον ἦμαρ". Attigit rem Matth. Gr. Gr. p. 1292 sq. Sed ne hunc in modum verba Vergilii supra posita intelligamus, vetat verbum *tulit*, i. e. abstulit, quod ad ipsam mortem Priami spectat. Quare simplicissimam rationem secuti participium *videntem* ad pronomen *illum* se applicare poetamque hoc dicere putabimus: hic exitus fuit Priami, miserior eo, quod moriens vidit incensam Troiam, prolapsa Pergama.

Aen. 6, 88 sqq.

Nec Simois tibi, nec Xanthus, nec Dorica castra
Defuerint; alius Latio iam partus Achilles,
Natus et ipse dea; nec Teucris addita Juno

Usquam aberit. Cum tu supplex in rebus egenis
Quas gentis Italum aut quas non oraveris urbes!

Sic ego interpunxi cum Heynio, necdum muto; Jahnius contra et Ladewigius et Hauptius:

nec Teucris addita Juno
Usquam aberit, cum tu *etc.*

Considera mihi, Anthoni, concisa ista *Non Simois . . . Defuerint* et *alius Latio . . . dea*, ad quae tertium illud (nam amant trina similia in eiusmodi re et oratores et poetae) accedit *nec . . . aberit:* intelliges, cum per se absolutum sit hoc tertium, nec requiri, nec exspectari, quod ad id illustrandum pertineat; contra vide, quanta vis sit in illo epiphonemate *Cum tu . . . urbes*, cui sententiae quantum deteritur, si desierit epiphonema esse!

Aen. 6, 357 sqq. Prospexi Italiam summa sublimis ab unda.
Paulatim adnabam terrae; iam tuta tenebam,
Ni gens crudelis . . .
Prensantem . . manibus capita aspera montis
Ferro invasisset.

Ladewigius et Hauptius vs. 358 interpungunt: *Paulatim adnabam; terrae iam tuta tenebam.* Cum poeta dicat *adnabam*, sponte intelligitur terrae Palinurum adnatasse, et poterat, prouti libebat, vel adiici *terrae* vel omitti; si additur, idem fere est, quod *ei*, scil. Italiae, idque eodem modo dictum, quo multa similiter, ut 8, 13 *viro*, i. e. ei, Aeneae. Ergo quare displiceat haec distinctio, nulla videtur iusta causa esse. At iure displicet, opinor, *terrae* a praegressis avulsum; sic enim fiet, ut id vocabulum in principio enuntiati collocatum pondus accipiat a sententia alienum; nam cum verbo *adnabam* iam significatum sit Palinurum accedere ad terram, addito *terrae* vocabulo nihil novi accedit ad illa *tuta tenebam;* superflua autem, quae non raro a poetis adiiciuntur, certe non eum locum tenere debent, qui indicat non superflua esse, sed necessaria.

Aen. 6, 389.

Fare age, quid venias; iam istinc; et comprime gressum.

Fare age, quid venias, iam istinc, et c. g., sic Jahnius et Ladewigius interpungunt, itemque quodammodo Hauptius, qui ex instituto suo commata, quibus inclusa sunt verba *quid venias*, sustulit. Lachmannus ad Lucret. 3, 880 „In Aeneidos libro VI, 389 de distinctione ne P. Wagnerum quidem satis recte iudicare mi-

ror. Id, quod unice verum est, *Fare age, quid venias, iam istinc, et comprime gressum*, imitando probarunt Statius in Theb. 3, 347 *iam illinc a postibus aulae Vociferans* et Dantes in Purgatorio 9, 85." Quod inter meam illorumque rationem intercedit discrimen, pusillum esse vides, optime Anthoni. Utrique particulas *iam istinc* cum verbo *Fare* coniungimus; ego semicolis eas seclusi, quo fit, ut dixi in Varr. Lectt., ut semel positum verbum *Fare* bis intelligendum sit: *Fare, quid venias* et *Fare iam istinc*. Nolo cuiquam obtrudere meam sententiam et facile permitto legentibus, utram sequi malint. Equidem sic statuo: primum, quod Statius Vergilium imitatus est (et imitatum esse credo) ea res non probat falsum esse, quod edidi; inter hunc enim et Vergilium hoc interest, quod apud hunc *Fare* in principio, apud illum *Vociferans* in exitu enuntiati positum est; ex quo intelligitur Vergilium potuisse voces *iam istinc* separare, Statium non potuisse. Tum qui unum pluresve, incertum quo animo, procul accedere ad se vident, iis primum hoc tantum in mentem venire solet, ut interrogent, qui sint aut quid veniant; tum, inhibito fere gradu, interrogati respondeant ad ea. Aeneas contra, nondum ad ipsam ripam progressus, pergit procedere. Charontis potissimum intererat consilium adventus Aeneae nosse, quia sibi ab eo cavendum putabat, et poterat credere nihil opus esse, quam illud ipsum *Fare, quid venias*, quia ea voce audita Aenean substiturum stantemque responsurum esse sperare debebat; quod cum non statim fiat, adiungit Charon istud *iam istinc!*

Aen. 7, 545 sqq. En, perfecta tibi bello discordia tristi;
Dic, in amicitiam coëant et foedera iungant.
Quandoquidem Ausonio respersi sanguine Teucros,
Hoc etiam his addam . . .:
Finitimas in bella feram rumoribus urbes, *cet.*

Interpunctionem Heynii a me servatam mutaverunt rursus Gossravius, Ladewigius, Hauptius. Heynius quod dicit suum se sensum in ea re secutum esse, non ita multum tribuemus sensui cuiusque, quamquam quae sentit vir praestantissimus, multis locis verissimis rationibus comprobari possunt. Iam Servii aetate, vel potius iam ante Servium, fuerunt, qui de interpunctione horum versuum ambigerent. Ego vero ne nunc quidem Heynianam distinctionem desero. Nescio enim quid ταὐτολόγον versus 547 superiori annexus habere mihi videtur. Cum enim vs. 545 Allecto

bellum, quod subito exarserat inter Teucros et Ausonios, suis se consiliis conflasse glorietur, nihil versus 547 continet diversum ab eo, quod versu 545 dictum est. Itaque vs. 547 malo protasin esse versuum subiectorum, quo fit, ut dicat Allecto non contentam eo, quod Ausonios implicavisset bello, se etiam finitimas urbes concitaturam adversus Teucros. Qua in orationis compage nihil invenio, quod vituperari iure possit.

Aen. 8, 532. Ne vero, hospes, ne quaere profecto,
Quem casum portenta ferant: ego poscor Olympo.

In priore versu ita interpungit Ladewigius:

Ne vero, hospes, ne quaere, profecto Quem c. p. f.

Utram rationem sequatur Hauptius, incertum relinquit eius editio. Ladewigius *profecto* participium verbi *proficisci* esse vult idque futuri exacti significatione praeditum ait: „quem casum portenta ferant profecto, Pallanti puta, i. e. cum ad bellum profectus erit." Portentum hoc fit, dum Aeneas est apud Euandrum. Itaque is, Euander, facillime in eam opinionem venire potuit, ut ad se suasque res illud pertinere gravemque aliquem casum sibi minari arbitraretur; cui eximit Aeneas timorem, sibi id signum mitti affirmans. Non dubitabimus quidem, quin Euander, audiens istum sonitum, statim de filio ad bellum profecturo metuerit, sed quia ita esse nostrapte sponte existimamus, non erat necesse eum nominatim significari. Nihil debebat Aeneas dicere, nisi hoc: „ne quaere, quod infortunium (vel tibi vel utrique nostrum) impendeat; neque enim mali quidquam portenditur; ad me spectat ea res: ego poscor," scilicet ad arma accipienda, id quod declarant versus subiecti 534—36. Hanc ego sententiam Aeneae menti et orationi convenientissimam esse iudico, ipsaque simplicitate commendabilem. Illa autem *ne vero . . . ne profecto* aptissima sunt ad indicandam magnam Aeneae suspitionem, Euandrum toto animo conterritum esse. Ac si de Pallante potissimum cogitasset Aeneas, concedes, opinor, Anthoni, Vergilium scripturum fuisse *Quem portenta ferant casum*, i. e. qui sit is, quem portenta ferant, casus; nunc cum hoc ordine scripserit *Quem casum portenta ferant*, ostendit de eo dumtaxat agi, casusne aliqui an aliud quippiam portendatur. Ac ne forte otiosum putes, quod verbis *ego poscor* adiicitur, *Olympo*, id quam vim habeat, optime perspicies, si, quae breviter loquitur Aeneas, dilataveris hunc in modum: „ego poscor et Olympus (deus aliqui) me poscit". — Verum pote-

ram omni hac disputatione supersedere lectoremque ad ea reiicere, quae statim expositurus sum. Ego enim versu proximo, qui est

533 ego poscor Olympo.

punctum posui post *Olympo*; contra Ladewigius sic interpungit:

ego poscor; Olympo

Hoc signum cecinit missuram diva creatrix, *cet.*

item Hauptius. Latet me ratio, qua usi pristinam distinctionem mutaverunt. Certe in ipsis verbis nihil inesse mihi videtur, quare haec dirimenda esse censeamus. At *Olympo* sic in extremo versu et in fronte novi enuntiati cum imbecillo ictu collocatum nimis iacere videtur, idque tanto plus, quo minus illud *Olympo*, si cum subiecto versu iungatur, necessarium est omissumque non desideretur. Nam cum in oratione sic constituta *Olympus* sit i. q. caelum, poeta autem modo (vs. 523) signum illud in caelo apparuisse dixerit, meo quidem iudicio ne debebat quidem h. l. repeti loci indicium. — Ceterum caesura quarta decima, quae deprehenditur in his *(ego poscor ;* ⁝ *Olympo)* ne uno quidem verbo attingitur ab Hermanno Elem. Doctr. metr. pag. 340, etsi erat operae pretium de ea aliquid dicere. Habet ea caesura fractum aliquid et debile; tamen haud ita infrequens est apud Vergilium; sed certis legibus adstrictam videbimus. Primum ea admittitur, ubi praegressa aut aliqua copula iunguntur subiectis, aut adversativis vel disiunctivis particulis disiunguntur; itaque ea caesura fit

1) ante *et, nec, neque* aut ubi extremum in versu vocabulum per *que* adnectitur, ut Georg. 2, 61 „Scilicet omnibus est labor inpendendus | *et* omnes Cogendae in sulcum", 78 „Aut rursum enodes trunci resecantur | *et* alte Finditur in solidum cuneis via," 80 „nec longum tempus | *et* ingens Exiit . . . arbos," adde vs. 65. 326. 521. 536. 3, 229. 347. Aen. 1, 689. 3, 62. 697. 5, 665. 762. etc. Georg. 1, 347 „Et Cererem clamore vocant in tecta; *neque* ante Falcem maturis quisquam supponat aristis," 2, 420 „Contra non ulla est oleis cultura; | *neque* illae Procurvam exspectant falcem," 3, 352 „Illic clausa tenent stabulis armenta,| *nec* ullae Aut herbae campo adparent," adde 2, 498. 4, 37. 398. Aen. 6, 733. 870. 10, 32. Georg. 2, 340 „Cum primae lucem pecudes hausere, | virum*que* Terrea progenies duris caput extulit arvis," 3, 87 „At duplex agitur per lumbos spina | cavat*que* Tellurem . . . ungula," adde 316. Aen. 1, 46. 5, 678.

2) ante *at*, *sed*, *ve:* Georg. 1, 142 „Hic vertex nobis sem-

per sublimis; | *at* illum Sub pedibus Styx atra videt", Aen. 8, 443 „Nec plura effatus, | *at* illi Ocius incubuere," adde Georg. 3, 522. 4, 360. 416. 513. Aen. 10, 348. Georg. 1, 225 „Multi ante occasum Maiae coepere; | *sed* illos Exspectata seges elusit," adde 3, 224. 404. Aen. 6, 560 „Quae scelerum facies? o virgo, effare; |quibus*ve* Urguentur poenis?"

3) Post *ut*, *ubi*, item post *ibi*: Aen. 10, 898 „Contra Tyrrhenus, | *ut* auras Suspiciens hausit caelum," adde E. 5, 6. G. 2, 14. G. 4, 396 „Hic vinclis capiendus, | *ut* omnem Expediat morbi causam". G. 4, 491 „victusque animi respexit. | *Ibi* omnis effusus labor," Aen. 9, 351 „Iamque ad Messapi socios tendebat;| *ibi* ignem Deficere . . . videbat". Aen. 1, 99 „Saevus ubi Aeacidae telo iacet Hector, | *ubi* ingens Sarpedon," quo loco cum dici potuisset *et ingens* maluit iterare *ubi* in concitata oratione [15]); cui etiam asyndeton pulchre convenit Aen. 4, 373 „eiectum litore, egentem excepi".

Nolui nimius esse in congerendis exemplis huius caesurae. Quae praeterea exstant hoc genere non comprehensa, pauca sunt quidem, sed cum modo allatis hoc habent commune, ut appareat ea caesura non uti Vergilium, nisi ubi aliqua coniunctio, vel disiunctio, vel oppositio, vel similis ratio inter distincta per eam enuntiata intercedit. In descriptione generosi pulli, ubi ab alio signo ad aliud progreditur poeta, Georg. 3, 81 „Illi ardua cervix, Argutumque caput, brevis alvus obesaque terga, Luxuriatque toris animosum pectus.| Honesti Spadices glaucique". Aen. 3, 480 „Vade, ait, o felix nati pietate! | Quid ultra Provehor et fando surgentis demoror austros?" i. e. vade, n e c ultra te morabor. Aen. 2, 150 „Qua molem hanc inmanis equi statuere? quis auctor?" Aen. 4, 603 „Verum anceps pugnae fuerat fortuna. | — Fuisset!" Et in oratione aliquo modo intercisa, ut E. 2, 2 „nec, quid speraret,|habebat," 3, 28 „Vis ergo inter nos, quid possit uterque,|vicissim Experiamur?" 3, 9 „Et quo — sed faciles Nymphae risere —| sacello," Aen. 3, 615 „Troiam genitore Adamasto Paupere — mansissetque utinam fortuna! | — profectus," adde 9, 465. Ex quibus consequens est carere vitio eam caesuram etiam ubi a protasi ad apodosin transitur, ut Georg. 1, 67 „At si non fuerit tellus fecunda, | sub ipsum Arcturum tenui sat erit suspendere sulco".

15) Aen. 10, 482 „t o t ferri terga, | t o t aeris".

Iam explicata huius caesurae ratione facile Tibi persuaseris, Anthoni, multum afuturum fuisse, ut Vergilius vocabulum *Olympo* a praegressis verbis divelleret, et versum quoque huic antecedentem distinguendo *ne quaere*, | *profecto* pessumdari a Ladewigio.

Sed in hac quoque caesura quomodo Homerus versatus sit, haud paenituerit dispicere. Deprehendimus eam, apud hunc quidem multo rariorem,

1) post appositionem in media oratione factam

Il. 4, 192 *Ἡ καὶ Ταλθύβιον, θεῖον κήρυκα,|προςηύδα·*

7, 149 *δῶκε δ' Ἐρευθαλίωνι, φίλῳ θεράποντι, | φορῆναι·*

2) in comparatione cohaerente cum reliqua oratione

Il. 4, 471 *οἱ δὲ, | λύκοι ὥς,*
ἀλλήλοις ἐπόρουσαν

11, 129 *ὁ δ' ἐναντίον ὦρτο, | λέων ὥς, Ἀτρείδης·*

172 *φοβέοντο, | βόες ὥς,*
ἅςτε λέων ἐφόβησε

20, 164 *Πηλείδης δ' ἑτέρωθεν ἐναντίον ὦρτο,| λέων ὥς σίντης,*

3) ante vocativum

Il. 5, 117 *νῦν αὖτ' ἐμὲ φίλαι,|Ἀθήνη·* item 10, 280.

16, 29 *σὺ δ' ἀμήχανος ἔπλευ,| Ἀχιλλεῦ.*

Od. 21, 176 *πῦρ κεῖον ἐνὶ μεγάροισι, | Μελανθεῦ.*

4) post interpositos genetivos absolutos

Il. 11, 508 *μήπως μιν, πολέμοιο μετακλινθέντος, | ἕλοιεν.*

Od. 1, 390 *ἐθέλοιμι, Διός γε διδόντος, | ἀρέσθαι*

5) ante enuntiatum per participium superiori orationi iunctum

Il. 12, 49 *ὥς Ἕκτωρ ἀν' ὅμιλον ἰὼν εἰλίσσεθ', | ἑταίρους*
τάφρον ἐποτρύνων διαβαινέμεν.

51 *μάλα δὲ χρεμέτιζον, | ἐπ' ἄκρῳ*
χείλει ἐφεσταότες.

6) in oratione continuata

Il. 12, 178 *Ἀργεῖοι δὲ, καὶ ἀχνύμενοί περ, | ἀνάγκῃ*
νηῶν ἠμύνοντο· adde 15, 133.

13, 630 *ἀλλά ποθι σχήσεσθε, καὶ ἀχνύμενοί περ, | Ἄρηος.*

15, 476 *, δαμασσάμενοί περ, | ἕλοιεν νῆας*

24, 35 *οὐκ ἔτλητε, νέκυν περ ἐόντα, | σαῶσαι,*

Od. 1, 349 *ἀνδράσιν ἀλφηστῇσιν, ὅπως ἐθέλῃσιν, | ἑκάστῳ.* adde 6, 189.

8, 554 *ἀλλ' ἐπὶ πᾶσι τίθενται, ἐπεί κε τέκωσι, | τοκῆες.*

16, 309 *ἐμὸν θυμὸν καὶ ἔπειτά γ', | ὀΐω, γνώσεαι*

3, 350 *οὔτ' αὐτῷ μαλακῶς, οὔτε ξείνοισιν, | ἐνεύδειν,* ubi melius omiseris interpunctionem.

7) in asyndeto

Il. 22, 386 *ἄκλαυτος, | ἄθαπτος,*

8) ante *ἵνα* consilium haud sine quadam gravitatis significatione indicans

Od. 2, 111 *σοὶ δ' ὧδε μνηστῆρες ὑποκρίνονται, | ἵν' εἰδῇς*
αὐτὸς σῷ θυμῷ, εἰδῶσι δὲ πάντες Ἀχαιοί·

Apud Apollonium quidem unum est, nisi fallor, huius caesurae exemplum 4, 1408

ταὶ δ' αἶψα κόνις καὶ γαῖα, | κιόντων
ἐσσυμένως, ἐγένοντο καταυτόθι.

Apparet igitur Homerum quoque Apolloniumque abstinuisse tali caesura, qualem viri docti invexerunt Vergilio Aen. 8, 532 et 533.

Aen. 9, 339 — 41.

Inpastus ceu plena leo per ovilia turbans;
Suadet enim vesana fames; manditque trahitque
Molle pecus.

Ladewigius Jahnium secutus mutavit interpunctionem hunc in modum: *turbans — Suadet enim vesana fames — manditque* etc. Hauptius, ut Burmannus: *turbans (Suadet e. v. fames) manditque* etc. Neque ego, nec, opinor, Heynius, nec ceteri, haec „*per ovilia turbans manditque trahitque Molle pecus*" non iungenda iudicavimus; semicola, quae posuit Heynius, servavi, quo illa „*Suadet enim vesana fames*" secluderem a reliqua oratione. Sed praestiterit cavendi erroris causa vel Burmannianam rationem sequi vel Jahnianam.

Aen. 9, 795 sq. nec tendere contra,
Ille quidem hoc cupiens, potis est per tela virosque.

Ladewigius Jahnio obtemperans interpungit *nec tendere contra Ille quidem, hoc cupiens, potis est*, quo mihi id effici videtur, ut verbis *hoc cupiens* multum de ea vi detrahatur, quam nanciscuntur ex ea, quae mihi probata est, ratione, quam ab ipso participio, cui saepe pronomen *ille* vel *ille quidem* adiunctum reperitur, commendari facile concedes, Anthoni. Idem Ladewigius cum comparat *hoc cupiens* cum Homerico *ἐσσύμενός περ,* non vidit id non aliter satis recte fieri, nisi ita, ut *quidem* participio adiungatur; quare si Homerum imitatus est h. l. Vergilius, necesse est con-

iungi, quae ego coniungenda censeo, *ille quidem hoc cupiens*, et prorsus eodem modo locutus est poeta 10, 385 „quem non superoccupat Hisbo, Ille quidem hoc sperans". De eo autem usu Homerico, quem Ladewigius et h. l. et 5, 457 attingit, vellem latius exposuisset; mihi quidem pronomen *ille* cum participio ἐμφατικῶς iunctum ex media latinitate profectum videtur.

Aen. 11, 566. hastam cum virgine victor
Gramineo donum Triviae de caespite vellit.

Recte quidem Peerlkampius: „Melius distingue: *Gramineo, donum Triviae, de c. v.* In hasta *cum virgine* inprimis *virgo* cogitatur, quasi legeretur *virgo cum hasta*. Virgo erat donum Triviae, quam Diana servatam patri donasset. Et sic Burmannum accepisse nunc video. Heynius minus recte *donum* ex voto Triviae explicat." Sed tamen ea interpunctione, adscita a Ladewigio et Hauptio, non prohibetur, ne quis Triviae donum ita intelligat, ut intellexit Heynius; quamquam, qui vulgares appositiones nullis commatis a reliqua oratione separant, perspicuitati servient, si ita interpunxerint.

Vides, amicissime Anthoni, multam hic cramben iterum mihi coquendam fuisse; sed quo vel bis cocta non amitteret saporem taediumque pareret, curavi, quantum potui, ut novi salis mica condiretur. Quis autem paulo tolerabilior homo non malit vera dicere, quam falsa? Tamen, quae est imbecillitas mentis humanae, saepe, quod aliis accidit, mihi quoque accidere memini, ut, dum verissima disserere mihi videor, in magnos errores implicarer. Quare gratulabor mihi, si de maiore saltem parte eorum, quae disputavi, Tibi persuasero.

Usus sum in hac epistola Latino sermone, qui olim commune literarii commercii vinculum habebatur et in quo melius Te versatum existimabam, quam in Germanico, nihil reveritus quorundam, qui nuper exstiterunt, iuvenum calumnias, qui hodie Latine scribant, eos nihil exhibere sibi videri dictitantium, nisi specimina quaedam scholastica. Sint illa, quidquid isti volunt, dum ne sint sollertiae doctrinaeque expertia; aut ipsi faciant, si possunt, meliora. Erit autem Tibi, optime Anthoni, satisfactum, si in tali genere scriptionis, quod brevitatis causa etiam quaedam ad-

mittit a consuetudine ipsorum Romanorum discrepantia, sed nostrorum criticorum grammaticorumque consensu semel recepta, omnia simpliciter perspicueque dicta reppereris. Ceterum scito me, cum Latine scribo, non solum Romanum esse, quod spero neminem mihi probro versurum, sed etiam Germanum germanissimum!

Vale, Vir Praestantissime, studiisque meis favere perge!

E r r a t a.

p. 6. lin. 6 a superiore margine, item p. 349. l. 19 a s. m.: *tradidi*, lege *tradideram*

» 7. l. 28 a s. m.: *uidem*, lege *quidem*

» 9. l. 8 ab inferiore margine: *ea*, lege *en*

» 11. l. 5 a s. m.: *codicem*, lege *codice*

» » l. 8 » » » : *deripiunt*, lege *diripiunt*

» » Quae scripta sunt de Aen. 1, 211, reiicienda erant in Caput secundum.

» 16. l. 5 ab i. m.: *κήεα*, lege *κήδεα*

» 17. l. 14 » » » : *δ*, lege *δ'*

» 18 l. 20 ab s. m.: *Αἰνείω*, lege *Αἰνείεω*

» 22. l. 11 ab i. m.: *ἤπειλησε*, lege *ἠπείλησε*

» 33. l. 16 a s. m.: *et iam*, lege *etiam*

» 42. l. 16 ab i. m.: post *capiendum* insere *telum*

» 58. l. 10 » » » : *J. Voss*, lege *J. H. Voss*

» 61. l. 5 » » » : *ipsus*, lege *ipsius*

» 66. l. 1 » » » : *ὑπο* lege *ὑπὸ*

» 67. l. 4 » » » : *disertis verbis expr.*, lege *diserte expr.*

» 74. l. 2 » » » : *excauere*, lege *exacuere*

» 80. l. 14 a. s. m.: 1), lege 13)

» 84. l. 13 » » » : *fortase*, lege *fortasse*

» 92. l. 3 » » » : ante *numero* insere *versuum*

» 95. l. 16 » » » : *enim*, lege *vero*

Leviora, quale *Λάμπε* (pro *Λάμπε*) *u* pro *n* positum (p. 59. l. 2 a s. m.) non notavimus; item iuncta, quae non erant iungenda (*utalia*, i. e. *ut alia*, p. 86. l. 19 a s. m.) quaedam contra male divulsa, ut p. 65. l. 3 ab i. m.

Si quis etiamnunc offendit in eo, quod Aen. 5, 768 (v. Cap. I.) Mari et numen et numen intolerabile tribuitur, is velim mecum consideret paulum versus Plautinos Trinumm. IV, 1, 1—7:

1. Salipotenti et multipotenti Jovis fratri et Nerei Neptuni
2. Laetus lubens laudes ago et gratis gratas habeo et fluctibus falsis,
3. Quos penes mei fuit potestas, bonis meis quid foret et vitae,
4. Quom suis me ex locis in patriam urbem usque incolumem reducem faciunt;

5. Atque tibi ego, Neptune, ante alios deos gratis ago atque habeo summas.

6. Nam te omnes saevomque severumque, avidis moribus commemorant,

7. Spurcificum, inmanem, intolerandum, vesanum.

Hic primum vs. 2—4 supplicatur Mari *(fluctibus salsis)* tamquam numini; tum Neptunus vs. 7 audit intolerandus; sic duplici dubitationi simul occurritur. — Sed non possum ab hac scaena Plauti discedere, quin experiar emendatiorem relinquere. Exhibui versum primum ita, uti legitur in Mss. et in Editt. Camerar. Lambin. Gronov. *Neptuni* vitiosum esse dudum viderunt grammatici; Hermannus transpositis nominibus scripsit *Neptuno et Nereo*, Scaliger, cui obtemperarunt alii et ipse Fr. Ritschelius *Jovis fratri aetherei Neptuno.* „Nullus, ait Lindemannus, Nerei hic locus est, tranquilli et otiosi dei marini;" at locum hic esse Nereo vel Ovidius declarabit Am. 2, 11, 35. 36. 39.:

Vestrum crimen erit talis iactura puellae,
Nereidesque deae, Nereidumque pater.
Tum mare in haec magnus proclinet litora Nereus;
Huc venti spirent *etc.*

Praeterea plures deos a Plauto, certe non unum Neptunum, nominatim hic commemoratos esse persuadent verba vs. 5

„tibi, Neptune, ante alios deos gratis habeo".

Igitur nescio an scripserit Plautus

Jóvis fratri et Nereo ét Portuno.